Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XXX
A
14
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SENTENTIÆ PRINCIPVM MEDICORVM,

In tres Libros diviſæ.

Hyppocratis ſententiæ. Lib. I.
Galeni ſententiæ. Lib. II.
Illuſtrium quorumdam Medicorum ſententiæ. Lib. III.

Morborum Prognoſis Methodus generalis, GVILLIELMI CLEMENTIS *D. M. Burſandeolenſis. Lib. IV.*

Obſervationes raræ Ejuſdem Lib. V.

AVENIONE,
Typis ANTONII DVPERIER, Bibliopolæ, & Illuſtriſſ. Archiepiſc. & Cleri Typographi.

M. DC. LXXII.
Cum Permiſſu.

Digitized by Google

DEO
OPTIMO MAXIMO.

SI ſummi Principes & orbis terrarum Reges ex collatis beneficiis in ſubditos, amorem potius, & bonum animum quam effectum, & vllam remunerationem exigant; id tu ſumme cælorum & terrarum Arbiter, Angelorum & hominum Creator unicè ab hominibus expetis, dum cor unicum tibi præbendum ſuggeris: Si ergo laborem meum tibi tuóque jure voveo, animum reſpice non opus; Viliora enim ſunt opera mea quam ut tuæ Majeſtati offerri valeant, quidquid enim bonitatis habent à te mutuantur; tuum eſt quod bonum eſt, meum verò quod malum:

at malum tibi offerre facinoroſum eſt, quare apud te in votis & precibus ſtare opus eſt. Faxit, ut cuncta opera noſtra bonitati congrua tuæ voluntati conſonent: Faxit, ut tuam actionibus noſtris mereamur gratiam & gloriam quam tua immenſa benignitate & miſericordia expectat.

G. CLEMENT,
D. M.

Illuſtriſſimo Eccleſiæ Principi

LVDOVICO DE SVZE,

VIVARIENSIVM EPISCOPO.

GVILLIELMVS CLEMENT D. M. Burſandeolenſis, D. D. D.

QVAMQVAM Sententiæ Principum Medicorum (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) veluti leges inviolatæ debeant ab omnibus honoricè & religioſè admitti; ta-

men quia nihil tam ſanctum, nihil tam perfectum inveniri poteſt, quod à protervis etiam linguis contumeliosè non appetatur; ad Veſtram Celſitudinem feſtinanter confugiunt, veſtrámque opem ſuppliciter implorant, cujus deffenſione & protectione auſpicata tanquam firmo quodam propugnaculo fulcitæ, non modò à calumniis malignantium vindicentur, verum etiam novum lumen & ornamentum aſſequantur. Veſtrorum etenim Majorum gloria, mirabiles animi veſtri dotes, comitas & benignitas morum, ingenita prudentia, immenſa charitas inter prima-

rios totius Europæ Antiſtites glorioſè coruſcant. Quorum omnium cognitione adductus Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. ſæpiſſime Comitiis hujus Provinciæ Occitaniæ celeberrimis V. C. præſidem præpoſuit. Imò etiam Cætus ipſe generalis totius Cleri Gallici tanquam digniſſimum & ampliſſimum Præſidem ſibj elegit, adeò ut brevi tempore C. V. Eminenti purpura decorandam indubitatum ſit: qua quidem (ſi optatis meis Eventus reſpondeat) ſine cunctatione ſit potitura. Cúmque nihil ſit in poteſtate quam ipſa vota, & hic ſolum Libellus magno

quidem & diuturno labore confectus, hunc ad inſigne clientelæ & obſervantiæ meæ monimenttum precor accipias: quamdiu ego pro continuanda V. C. proſperitate, & conſervanda valetudine vota quotidie fecero; atque veſtrarum me Virtutum tum præconem, tum admiratorem inceſſanter præbuero.

Lectori Monitio utilis.

TRanſvolat mox trigeſimus quintus annus, quo actuoſam & ærumnis calumniiſve perviam medicam artem exercuerim, tum in Italia, tum in Gallia, cùmque annos quatuor doctoratus primarios in theorica potius & anatomica diſſectione inſudarim, quippe qui in Xenodochio ſanctiſſimi Salvatoris vulgò ſancti Ioannis Laterani Romæ commorando, quadringenta ne plus dicam utriuſque ſexus cadavera diſſecuerim; reliquum huc uſque tempotis in praxi præcipuè exercenda peregi: quam ut ſedulò & impigrè compararem Hyppocratis & Galeni libros continuo & indefeſſo labore pervolvens tot theoremata & præcepta medica ita utilia praxique agendæ ita proficua inveni, ut ea in compendium redigere eorum illecebris allectus & memoriæ retinendæ gratia coactus fuerim, quæ quanti momenti ſint ex eo licet colligere, quod quidquid Hyppocrates, quidquid Galenus, & illuſtriores me-

dicinę proceres difficilibus & ſenticoſis voluminibus rarum & ſublime protulerint (ſaltem quod ſedula & exacta lectione ſelectum mihi magis arriſerit) id omne unico libello evolvere & luſtrarę liceat; eóque etiam commodius, quod quiſque ſecum vel in pera facilè ferre queat. Neque ſolum præcepta illa præſtantiora reperies; verum etiam facilem brevémque modum prædicendi, & novam prognoſeos rationem, acuratam quidem & ſubtilem certis quibuſdam conditionibus ſuppoſitis exaravi; quam quidem qui à tramite viáque præſcripta non deflectet; ad ſcopum ceu futurum morbi exitum collimando, ſine dubio conſequetur. Aucta quoque editio eſt Obſervationibus raris à me curante factis; quæ quidem vacillantem redderent legentium fidem, ni propriis oculis ſpectator ipſe, & ipſos ægros curando earum firmam, ſtabilirem. Has, precor, amice Lector, p ro illa bore repende grates, id effare, In pace quieſcat, vale, & fruere.

Libri Hyppocratis è quibus eductæ ſunt Sententiæ.

Hyppocratis vita.
Iuſiurandum.
de Lege.
de Arte.
de veteri Medicina.
de Medico.
de decenti Ornatu.
Præceptiones.
de Natura hominis.
de ſalubri Diæta.
de Genitura.
de Natura pueri.
de Carnibus.
de Septimeſtri Partu.
de octimeſtri Partu.
de Superfætatione.
de exſectione Fœtus.
de Dentitione.
de Corporum reſectione.
de Corde.
de Glandulis.
de Oſſium natura.
de Locis in homine.
de Aëre, Aquis, & Locis.
de Flatibus.
de Medicamentis purgantibus.
de Diæta ceu victus ratione. Lib. III.
de Inſomniis.
de Alimento.
de Humidorum uſu.
de Humoribus.
de Morbo ſacro.
de Morbis. Lib. IV.
de Internis affectionibus non eſt Hyp.
de Affectionibus.
de Virginum morbis.
de Natura muliebri.
de Morbis mulierum. Lib. II.
de Sterilibus.
de Morbis popularibus, ceu Epid. L. 7.

de Victus ratione in acutis.
de Judicationibus.
de diebus Judicatoriis.
Aphoriſmorum Libri VII.
Prognoſtica ceu prænotiones Lib. III.
Prædictionum L. 3.
Prædictionum Libri 2. non ſunt Hypocrat. ex Gal.
Coacæ prænotiones.
de Capitis vulneribus.
Chyrurgiæ officina.
de Fracturis.
de Articulis.
de Vlceribus.
de Fiſtulis.
de Hæmorrhoïdibus.
de Viſu.
Hyppocratis Epiſt.
de Hominis ſtructura.
de Vratri uſu libellus.

Clariſſimo Viro D.G.Clementi D.M. Hippocratis, Galeni, Avicennæ, & aliorum Principum Medicorum nobiliores, & utiliores ad uſum medicum ſententias; ordine novo in pauca digerenti.

Hippocrates quidquid : numeroſa prole librorum
Quidquid Pergameus, quidquid Arabſq; docent.
Contrahis in paucas Clemens *doctiſſime chartas,*
Extractum *è vaſta mole* Chymiſta *parans.*
Aurea ſic volucris, multis ex floribus, unam
Cæleſti, Ambroſiam Nectaris, arte parit.

Ponebat amicitiæ ergo
C. A. P. A.

Digitized by Google

SENTENTIÆ YPPOCRATIS CELEBRIORES.

omnibus ferè ipſius libris Depromptæ.

LIBER PRIMVS.

De Lege.

1. SOLI Medicinæ nulla pœna ſtatuta eſt, præter quam iominiæ. A

B

J. 2. Quiſquis Medicinæ ſcientiam nparare velit, his ducibus utatur ɔrtet, Naturâ, Doctrinâ, Pruden-, loco ſtudijs apto, inſtitutione à ɛro, induſtriâ, & tempore. C

Iatura noſtra velut ager eſt, do-ata præceptorum velut ſemina t; inſtitutio à puero eſt tempus op-:tunum ad ſemina terræ mandan-

da ; locus ſtudijs aptus eſt velut aër nutritioni idoneus ; ſeu aëris conſtitutio proba : Induſtria , cultura eſt ; tempus denique omnia corroborat ut perfecta reddantur.

A N. 3. Imperitia malus theſaurus, malaque ſupellex ; alacritatis , fiduciæ , & lætæ ſecuritatis expers ; timiditatis, & audaciæ nutrix. Duo enim ſunt ſcientia, & opinio, quarum altera ſcientes quidem efficit; altera ignaros.

De Arte.

B N. 4. Medicina eſt, morbos ab ægris in totum tollere, eorum Vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi.

C N. 20. Medicus ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet & ad curandum.

De Genitura.

D N. 7. Semen utrique ſexui ineſt, tam maſculeum, tum fæmineum.

Si ab utriſque ſemen fortius fuerit, maſculus erit partus ; ſi verò debile, fæmina naſcetur.

E Fortior maſculus fæminâ eſt, neceſſe igitur eſt, ipſum à fortiore ſemine generari.

De natura Hominis.

N. 11. Medicamentorum tractiones, & alimentorum nutritiones fiunt ſimilitudine ſubſtantiæ ſtyrpium & ſeminum exemplo, quæ à terra ſuccum ſibi congruentem eliciunt. A

N. 21. In lumborum & teſtium dolore venæ ſectio de poplitibus & malleolo intrinſecus facienda. B

De Natura pueri.

N. 17. Vt ſemen & genitura prodit caro rareſcit & cuticula, & venæ aperiuntur magis quam priori tempore, tunc enim Pilos emittit pubes, rara nimirum cuticula tum pueri, tum virginis reddita; nam eadem eſt ratio de pueris puberibus & de virginum menſtruis. C D

N. 32. Alimentum & augmentum non amplius ſufficiens eſt puero, ubi decem mēſes præterierint, & fætus auctus fuerit, trahit enim quod dulciſſimum eſt in ſanguine ad ſe ſe, ſimulque etiam lacte modice fruitur: hoc eſt materialiter, ſed non formaliter.

De Septimeſtri partu.

N. 8. Filiæ citius quam filij pubeſcunt, Sapiunt, & Seneſcunt; pro- E

pter corporis imbecillitatem, & Victus rationem, atque hæc imbecillitas in fæminis oritur ob earum naturam quæ frigidior & humidior eſt quam in viris.

A *De Superfœtatione.*

No 2. Si cui mulieri ſecunda exeat priuſquam puer procedere incipiat, ægrè parit, & adhuc magis periculosè ſi caput primùm non procedat.

B *De Exſectione fœtus.*

No 2. Partum faciliorem reddunt purgamenta in partu prodeuntia, & econtra. Lib. verò de Coacis, Act. Ante partum aquoſa erumpentia, mala.

De Locis in homine.

C No 46. Morbum ſi quis non cognoſcat, medicamentum bibendum præbeat non forte, ſi itaque levior inde fiat, demonſtrata via eſt, quod gracilitatem inducendo curandus ſit, ſi vero non levior æger reddatur, ſed pejus habeat, contraria facienda

D ſunt.

Si morbum fortiorem,ægrotum autem debilem acceperis,debilibusPharmacis curabis, quæ ipſum mor-

bum ſuperent & abducant, verum
ægrotum nihilò debiliorem reddant.

N° 47. Morbos antiquos primum
recentes facere oportet, & ulcus cal-
loſum factum, eijcere prius duri- *A*
tiem per putrefactorium medicamen-
tum.

N° 51. Vomitus per vomitum cu-
ratur, ſi vomenti multam aquam te-
pidam bibendam dederis, quia eluun- *B*
tur ea quæ vomitum cient.

N° 59. Vteri omnium muliebrium
morborum cauſæ ſunt, ſed hoc com.
paratè non abſolutè intelligendum *C*
eſt.

De Aere, Aquis & Locis.

N° 24. Lac calidum & bilioſum
pueris calculum generat. *D*

N° 30. Maximè autem obſervare o-
portet magnas temporum mutationes, *E*
& ſolſtitia & æquinoxia, ita ut ne-
que Medicinas in illis libenter exhi-
beamus, neque uramus quæ circa
ventrem ſunt, neque ſecemus, præter-
quam præterierint dies decem aut plu-
res, periculoſiſſima ſunt ambo ſolſti-
tia, maximè vero æſtivum, periculo-
ſiſſimum & æquinoxium utrumque

magis vero Autumnale.

De Medicinis purgantibus.

A N° 4 Febribus fortibus correptis medicamentum purgans dare periculoſum, donec remiſerit febris, carnes enim ipſorum & ventres cum ſint calidi, Medicamentum abſumunt & nihil depurgantur.

De Victus ratione, ſeu Diata.

B *Lib.* 1. No 2. Homo comedens Sanus diu vivere non poteſt, niſi etiam laboret.

C *Lib.* 2. No 6 Lac Ovillum & bilioſum pueris calculum generat. Repet. lib. de aër. aq. & loc.

D N° 24. & 26. Segnities ac otium humectat, & corpus debile facit: anima enim quieſcens humiditatem in corpore non abſumit: labor Siccat, & corpus robuſtum facit. Per animam intelligit calorem naturalem.

De Morbo ſacro.

E N° 5. Semen genitale ab omnibus corporis partibus procedit; à Sanis Sanum, à morbidis morboſum; ex pituitoſo enim fit fætus pituitoſus, ex bilioſa bilioſus, ex tabido tabidus, ex podagrico podagricus, ex ſpleniti-

co ſpleniticus, ex Epileptico Epilepticus, ex Elephantico Elephanticus. Repeti$_t$ lib. de genitura n. 5. & 8.

N$_o$ 7 Qui pueri mundi ſunt neque ulcus ullum in caput erupit, neque mucus, neque ſaliva ulla prodit, & menſtruis fluctibus aut imminentibus concepti ſunt; ſi pituitoſi ſint, ne in Epilepſiam incidant periculoſum eſt. Avicenna, Valeſcus, Duretus, & plures alij aſſerunt pueros qui ulcera in capite patiuntur, vel ſcabiem, vel tineã, ab hoc morbo Vindicari. Ego vero vidi quoſdam à tinea topicis ſanatos, alios in Epilepſiam, alios in ſthrumas incidiſſe. A

De Morbis.

Lib. 1. N° 18. Quicumque à vulneribus aut haſta, aut pugione, aut jaculo circa pectus ſuppurati ſunt, eandem habent curationem ac ij qui ex pleuritide & perineumonia in ſuppurationem inciderunt. B

Lib. 2. N° 10. Vua morbus, fit cum pituita de capite ad gurgulionem deſcenderit. Et gurgulio præceps dependet, ac fit rubicundus; temporis autem progreſſu nigreſcit. C

Perineumonia fit cum commotâ ac A calefactâ pituitâ & bile pulmo præ caliditate traxerit ad ſe ipſum de viciniſ locis, ad eaquæ iam ſunt in ipſo; & percalefacit quidem totum corpus, & dolorem exhibet ac gravitatem, maxime autem dorſo, & coſtis, & humeris, & ſpinæ; Nimirum ab his ad ſe ipſum. attrahens humiditatem, & ſuperexſiccantur hæ partes & nimium caleſiunt.

No 38. Si tertiana febris tenuerit, B ſi omiſſis tribus invaſionibus quarta corripiat, Pharmacum deorſum purgans bibendum dato.

No 69. In pituita alba ſi ſcrotum C aqua Impletum fuerit, ſecato.

Lib. 3. No 22. Dolores in omni pleuritide plerumque magis interdiu, D quam noctu leviores ſunt.

Si pleuriticus bilioſa expuat medicamentum E purgans ne dederis; Si enim dederis rurſus ſputum prodire non poterit, ſed ſeptima aut nona die ſuffocabitur. v. 19. 2.

F *Lib.* 4. No 1. ad hominis generationem de omnibus & viri & mulie-

ris partibus ſemen progreſſum & in uteri muliebris cavitatem illapſum condenſatur, temporeque veniente natura hominis formam refferens ex ipſó producitur.

No 10. Si homo parum edit, ac bibit, nullum morbum hoc ipſi inducit, nam mater ſanitatis ſobrietas eſt. *A*

No 21. Quicumque febre continua correpti Pharmaco uſi ſunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam ſunt, qui verò in diebus imparibus hi nimium purgati ſunt. humor enim in corpore ægri magis turbatur in diebus imparibus à Natura & morbo invicem colluctantibus, quod in febricitantibus continua febre cavendum eſt, non vero alijs. *B*

Dolent maximè ægroti in imparibus diebus, quoniam conturbatur humor, cum homo febricitat. *C*

No 24. Si ex lienteria in Hydropem tranſitus fit, lethale. *D*

De internis Affectionibus.

No 56. Præhumectare corpus oportet per fomenta quo magis Pharmacis obediat; Præhumectatio enim eſt *E*

initium vacuationis quæ ſit vel per Clyſteris injectionem, vel per fomenti humidi applicationem. Vt reſicata excrementa prius emollita facilius vacuentur.

De Affectionibus.

A N° 11. Lingua nigra & aſpera in febre ardente, à Spiritus caliditate procedit;lingua vero tremula delirium portendit.

B N$_{o}$ 18. Tertiana febris cum apprehenderit,ſi quidem tibi non videbitur purgatus eſſe, quarta die Pharmacum dato.

No 21. Splenici quibus Pharmaco-
C rum Potiones nihil proficiunt, in Hydropem degenerant.

N$_{o}$ 23. In morbis cum alter alteri ſuccedit,plerumque occidit.

D N$_{o}$ 25 . Lienteria fit plerumque
E cum ex capite & ſuperiore ventre pituita deffluit in ventrem inferiorem, quod ubi contingit , cibi frigeſiunt ac humectant, & ſeceſſus velox ipſorum adhuc crudorum contingit ; & corpus liqueſcit. Sanabis autem ſi deffluxum à capite & ſuperiore ventre intercipias, aut avertas.

N° 37. Vulneratos fame affligito. B

N°. 47. Balneum moderate calidum mollit & auget corpus; quod verò opportunum modum excedit, ſiccas quidem corporis partes humectat, humidas vero reſiccat: Et ſiccæ quidem humectatæ debilitatem & animi deliquium exhibent; humidæ vero ſiccatæ ſiccitatem & ſitim.

De Natura muliebri. C

N. 20. Si mulierem pituitoſam aut bilioſam cognoſcere velis; id ex menſtruis purgationibus cōſequeris.

De morbis mulierum. D

Lib. 1 N. 103. Mulier ſi ſit Iuvenis robuſta & multi ſanguinis, & gravius laboret in partu, prodeſt miſſus ſanguis è malleolo ut tota natura concurrat, & fætum expellat.

Lib. 2. N. 4. Quæ mulieres ſuperalbidæ ſunt, humidiores ſunt ac fluidiores, nigræ vero ſicciores, calidiores, & acerbiores. E

De *morbis popular. ſeu Epid.* lib. 1. *Sect.* 1. & 2. Triteophiæ, ſeu febres ſimiles tertianis continuis, hoc eſt juxta naturæ febris tertianæ morem exacerbantes, fuerunt aliis fe- F

bribus periculoſiores.

Æſtate & Autumno lienterias ; A dyſſenterias & teneſmos, populares fuiſſe commemorat.

Sect. 2. Concoctiones celeritatem cryſis , & ſecuritatem ſignificant ; B cruda verò & incocta cryſium defſectum , aut dolores , aut diuturnitates , aut mortem , aut recidivas declarant.

Præterita diſcito , præſentia coC gnoſcito , futura prædicito ; hæc tractato.

Ægrotum , cum medico , morbo D adverſari oportet. Ætius vero Tetrabib. 2. ait , medicus naturam juvare debet adverſus morbum decertantem.

Quibus prægnantibus (conſtitutio-E ne tertia) contigit ægrotare , omnes fœtus perdiderunt quos ego novi.

Nullum novi ex ægrotis qui ſuperF ſtites evaſerunt , cui non redijſſent recidivæ ſecundum rationem factæ ; & ſervati ſunt omnes quos ego novi quibus hoc genus recidivæ factum eſt.

G *Sect.* 3. Quæ paribus exacerbantur,

paribus iudicantur ; quorum autem exacerbationes in imparibus fiunt, in imparibus iudicantur. Primus autem dies in paribus decretorius, eſt quartus, deinde ſextus, decimus &c. Primus autem in imparibus eſt tertius, deinde quintus, ſeptimus, &c.

De Morb. popular. ſeu Epid.
Lib. 2.

Sect. 1. Iudicatoria non judicantia partim lethalia ſunt, partim difficilis judicationis, quæ verò præjudicata fuerint, ſi crudè judicata fuerint, recidivæ fiunt. A

Occaſiones unde quis ægrotare cæperit conſiderandæ ſunt; ſive capitis ſit dolor, ſive auris, ſive latèris. B

Sect. 5. Si puerperis convulſio fiat, febrem exciato, & per clyſterem infuſo colluito. C

Hydropicus ſi tumorem in cruribus habens tuſſiat, malum, alias vero lethale. D

Si non in die impari febris dimittat, recidivare neceſſe eſt. E

Sect. 6. Qui longæ vitæ futuri ſunt, hi plures dentes habent. F

De Morb. popular. ſeu Epid. lib. 3.

a *Sect. 3. ægr.* 8. Anaxionem Abderis febris corripuit acuta, lateris dextri dolor continuus, tuſſis ſicca, nihil per primos dies ſpuebat, ſitibundus, pervigil, coloratior urina, multa & tenuis, ſexto delirabat, nec quicquam ad fomenta levabatur, ſeptimo gravius habuit, febres invaleſcentes, nec dolores remittebant. Tuſſes infeſtabant, & ægre ſpirabat, octavo in cubito venam ſecui: Sanguis copioſus manavit, labores remiſſiores, tuſſeſſiccæ perſeverebant, vndecimo febris remiſſa eſt; Parum circa caput ſudavit, & quæ ex pulmone educebantur humida, decimo ſeptimo cæpit pauca concocta educere, vigeſimo ſudavit, febre levatus eſt, poſt Cryſim levius habuit, ſitibundus tamen erat, & quæ ex pulmone purgabantur minimè bona, vigeſimo ſeptimo revertit febris, tuſſijt, cocta multa expuit, in urinis hypoſtaſis multà, alba, omnino ſiti eſt, levatus & ſpirandi difficultate trige,

ſimo quarto toto corpore ſudavit, & in totum ſanatus eſt.

Gal. Comm. 23. Aph. Sect. 2. & 71. Sect. 4. Hanc hiſtoriam afferens, A aſſerit morbos acutos & ſimplices eſſe breviores. Complicatos verò longiores, poſtea verò ex coctionibus Cryſim arguit. Ego, inquit, cum ſigna coctionis tertio vidi, ſeptimo judicatus eſt morbus, quando ſeptimo, decimo quarto, quando vndecimo, interdum decimo ſeptimo, & interdum vigeſimo: Si vero decimo ſeptimo vel vigeſimo, trigeſimo quarto vel quadrageſimo ſolutus eſt.

Principium huius morbi ad decimũ B ſeptimum diem tranſlatum eſt, quia huc uſque cruda omnia fuerunt, quo tempore pauca concocta cæpit educere per ſputa.

Ad ægrotum ultimum, ait, æſtivos C morbos hyemes ſuccedens ſoluit, & hyemales morbos æſtas ſuccedens transmutat.

De Morb. popul. ſeu Epid. lib. 4.

Nº 30. Alcippus cum haberet hæmorrhoidas à curatione prohibeba- D

batur; curatus inſaniit; febre acu-ta ſuccedente ceſſavit.

De Morb. popular. ſeu Epid. *lib.* 5.

N° 1. Scomphus in Æniadis pleu-
A ritide correptus mortuus eſt, ſeptimo delirus, pharmacum autem bibit infra purgans, priore ante potionem die mentis compos erat & purgatus eſt non multum; cum vero purgaretur deliravit. Quo loco nos in purgatione exhibenda cautos eſſe ſuadet, Imo lib. 3. de Morb. ſic ait; pleuriticus ſi bilioſa expuat, medicamentum purgans ne dederis, ſi enim dederis, ſputum rurſus prodire non poterit, ſed ſeptima aut nona die ſuffocabitur.

Quod ſi Hypp. lib. de ratione vict.
B in acut. in pleuritide quæ dolorem ſub ſepto transverſo parit, peplium aut helleborum nigrum ſumendum conſulat, intelligit de ſpuria quæ à flatibus in prima regione naſcentibus oritur, qui quidem ſimulatam pleuritidem efficiunt, hoc eſt pleuritidem ementiuntur. Quo caſu purgatio convenit ratione humoris crudi vacuandi à quo flatus oriuntur, maximè ſi

Digitized by Google

ſeroſus & tenuis ſit, quia talis humor omni morbi tempore ut præparatus vacuari debet, ut docet Gal. lib. Quos & quando purgare oporteat.

Nº 4. Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexatus, maximè autem teſtibus ac fronte, cum nemo opitulari potuiſſet, transgreſſus ad melum, ubi ſunt calidæ balneæ à pruritu & cutis craſſitudine liberatus eſt. *A*

Nº 5. In lariſſa uxori Gorgiæ menſes ſuppreſſi erant per annos quatuor præter valde modicos, verum in utero ad quamcumque partem inclinaſſent, pulſum exhibebant ac gravitatem; hæc mulier concepit, & peperit, & puella viva nono menſe edita eſt & ſecundæ conſequentes, quadrageſima vero die à partu ſuperfætatio excidit: omneſque tumores ac fluxio tenuis,& ſanguis olens prodiit & ſana evaſit. *B*

Nº 12. Famulæ dyſeridis lapis ab utero extractus eſt poſt eſum porri. *C*

Nº 13. Malienſi currus onuſtus inductus eſt ſupra coſtas, & coſtas confregit,uſtus eſt ſub ſplene, peni- *D*

cillis ac linimentis utebatur, & pervenit ad decem menſes, reſecta vero cute caverna apparuit ad tenue inteſtinum utrinque procedens; & ad Renem & ad oſſa procedebant putrida; In hoc non animadverſum eſt quod & corporis habitus bilioſus erat, & in corpore putredo ſicca tenuis inteſtini multa, & aliarum carnium quas ſtatim eijcere oportebat & mortuus eſt.

A N_o 14. Authonomus in Omylo ex capitis vulnere mortuvs eſt, die decima ſexta in media æſtate lapide ex manu ictus in ſuturas in medio ſyncipite, quare non animadverti ipſum ſecari opus habere, deceperunt enim me ſuturæ iaculi læſionem in ſe habentes, poſtea enim conſpicuum id fuit, ſectus enim eſt die decima quinta, & pus prodiit non multum, membrana verò cerebri imputrefacta apparuit.

B N° 19. Sutor in pythiodum cum ſoleas veteramentarias ſueret, pupugit ſe ipſum ſupra genu in femur; & fermè longum digitum immerſit: huic ſanguis nullus effluxit, vulnus citò

clauſum eſt, & proceſſit hic tumor uſque ad inguem & lateris mollitudinem, hic tertia die mortuus eſt.

Nº 20 Quidam iuxta inguem ſagitta percuſſus quem nos vidimus, præter omnium opinionem ſervatus eſt; neque enim cuſpis exempta eſt (erat enim valde in profundo) neque ſanguinis eruptio ulla memorabilis fiebat, neque inflammatio, neque claudicavit; Cæterum cuſpidem invenimus nos, eamque exemimus, cum ſex iam eſſent anni ex quo ſauciatus erat; ſuſpicio autem erat, inter medios nervos cuſpidem occultatam fuiſſe, nullamque venam aut arteriam diſſectam fuiſſe. *A*

Nº 21. Virgo illa pulchra Nerii filia annorum viginti à muliere amica ludente percuſſa eſt in ſyncipur, & tunc vertigine capta eſt, ſine ſpiritu erat & cum domum veniſſet ſtatim febris vehemens corripuit, caput doluit, & rubor circa faciem; ſeptima die circa aurem dextram pus proceſſit graveolens ſubrubrum, plus cyatho, & videbatur ſibi melius habere, & allevata eſt: Rurſum augebatur *B*

febris & in ſoporem defferebatur, loqui non poterat, & faciei pars dextra trahebatur, & difficulter ſpirabat, convulſio ac tremor aderat, lingua detinebatur, & oculus ſtupidus erat, nona mortua eſt.

A N° 23. Doloribus circa lumbos, & crura & coxam ex laboribus obortis aquę marinæ acetique calidum fomentum confert, ita ut vel aſpergas, vel ſpongiam his imbutam adhibeas. Idem repetit lib. 7. Epid. n° 38,

B N° 25. Suppurgandi ſunt ventres in morbis ubi purganda matura fuerint, inferni quidem ubi ſubſidiſſe videris, ſignum habes ſi ægri neque anxij, neque capite gravati fuerint, cum calores mitiſſimi & poſt exacerbationes ceſſarent, ſuperni verò in ipſis exacerbationibus, tunc enim & hi elevantur cum anxij, dolentes è ſupernis corporis partibus ac ſe iactarint; Nam ut exponit Gal. pro Motione noxiorum humorum facere oportet evacuationes Hypp. lib. 1. aph. 21. quo, inquit, natura vergit, eo ducere oportet, &c. repetit lib. 7. Epid. n°. 32.

No 32. Adoleſcens quidam multo meracopoto ſupinus in habitaculo quodam dormiebat; huic ſerpens arges appellatus in os ingreſſus eſt, & ſanè cum ſenſiſſet, & loqui non poſſet dentibus ſtridit, & ſerpentem devoravit, & dolore magno tenebatur, & manus tenſas habebat velut qui ſtrangularetur, & iactabat ſe ipſum, & convulſus mortuus eſt. A

No 34. Tichon in obſidione percuſſus eſt in pectus &c. repetit lib. 7. Epid. no 58. B

No 36 Mulieri in abderis carcinoma obortum eſt circa pectus, & per mammam fluebat ſanies ſubcruenta, obturata verò fluxione mortua eſt. C

De Morb. popular. ſeu Epid. lib. 6.

Sect. 1. Oculi audacia delirij ſignum eſt. D

Sect. 4. Exercitatio ſanitatis eſt veſci citra ſaturitatem, & non refugere laborem. E

Inter vigilandum ſitis levis ſomnus medela eſt; ſitis verò ex ſomno vigilia in quibuſdam. F

A Terra ſiccitatibus ſqualllida volucrium genus abundat.

B *Sect.* 5. Morborum Medicus, natura.

C In morbis longis mutare ſolum commodum eſt.

D Mulier, capra, Elaterium & cucumerem Sylveſtrem comedentes, pueris purgatio. Idem firmat Zacutus Luſitanus de Medicor. princip. Hiſtoria multis exemplis.

Sect. 6. Carnes ex ventre & intrin-

E ſecus & extrinſecus attrahunt, oſtendit autem res ipſa totum corpus & intus & foras ſpirabile eſſe.

F *Sect.* 7. Melancholici comitiali morbo corripi plerumque ſolent; Et viciſſim comitiales fieri ſolent melancholici. Vterque autem morbus magis fit, prout in hanc, vel in aliam partem magis inclinarit, ſi enim ad corpus, comitiales fiunt, ſi verò ad animum, atrabilarij, melancholici dicti.

Phætuſæ conjux cum in exilium

G abijſſet, menſes multo tempore ſuppreſſi ſunt: & Rubores ad articulos Oborti ſunt; Hæc autem ubi conti-

giſſent, corpus virile factum eſt, & hyrſuta penitus evaſit. Idem contigiſſè reffert Hypp. Namiſiæ in Thaſo eodem libro.

De Morb. popular. lib. 8.

N° 32. Suppurgandi ſunt ventres in morbis ubi purganda matura fuerint, inferni quidem ubi ſubſidiſſe videris; ſignum habes ſi ægri neque anxij fuerint, neque capite gravati, cum calores mitiſſimi, & poſt exacerbationes ceſſarint. *A*

Superni verò in ipſis exacerbationibus; tunc enim Elevantur humores, cum anxij, dolentes ſupernis corporis partibus, ac ſe jactarint. Nam ut exponit Gal. pro motione noxiorum humorum facere oportet evacuationes. Et quo natura vergit eo ducere oportet 21. Aph. Sect. 1, repetit. lib. 5. Epid. n. 25. *B*

N 34. Capitis ex utero dolores ſedat caſtoreum. *C*

Plurimas uteri affectiones flatus faciunt, ſignum ſunt ructus, & ſtrepitus circa ventrem, lumborum tumores, & dolores circa renes & coxam, ad hos autem confert aroma- *D*

tum tertiam partem, farinæ duas in Vino albo coquere, & linteolo illita cataplaſmatis modo imponere qua parte ventris dolores ab utero affligunt.

No 38. Doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis, aquæ marinæ, acetique calidum fomentum confert, ita ut vel aſpergas, vel ſpongiam his imbutam adhibeas. Repetit lib. 5. Epid. No 23.

No 56. Dinii filio in Abdernis umbilicum mediocriter ſauciato fiſtula parva relicta eſt; & quandoque etiam lumbricus per ſe ipſum ſatis craſſus penetravit, & cum febriret vomebat bilioſa, quandoque verò & hæc ipſa per fiſtulam prodibant; allapſum eſt & inteſtinum ipſi ad fiſtulam.

Idem Accidiſſe Vidi Pharmacopolæ Vrbis ſancti Spiritus, & Mercatori huius Vrbis, quibus ab Apoſthemate in abdomine facto, & rupto Vermes excreti ſunt.

D No 58. Tichon in obſidione circa Datum ictus eſt in pectus, & paulò poſt riſus erat ipſi tumultuoſus, Videtur autem mihi Medicus eximens lignum

ghum, aliquid de ferro in ſepto transverſo reliquiſſe. Tertia die mane convulſus eſt & circa meridiem mortuus eſt. repetit. 5. Epid n, 34.

De Victus ratione in acut.

No 10. Lateris dolorem ſive per exordia fuerit, ſive poſtea obortus, tentare calidis fomentis diſſoluere non abs re exiſtit.* A

No 11. & 12. Dolores lateris primum fomentis ſiccis è ſale & milio frictis ac torrefactis placare tenta, verum ſi fomentis non placetur, non diutius calefacito, ſiccat enim id pulmones & ſuppurationem facit, ibidem conſulit latus fovere ex aqua calida, vel lacte, in utre aut in veſica. B

No 12. Venæ ſectio non tollit dolorem pleuriticum, niſi ad claviculam pertingat, vel ad brachium, vel ad mammam, vel partes ſepto transverſo ſuperiores, quo caſu internam cubiti venam ſecare expedit; neque ut copioſe ſanguis auferatur eſt cunctandum: Sed eo uſque detrahendum donec multo rubrior, aut pro puro & rubido lividus fluxerit. Nam utrumque contingit. C a

Si vero dolor ſub ſepto tranſverſo fuerit, alvum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio, quod flatus erũpere facit. Veratro vero aniſum aut cuminum ammiſceas, atque hoc modo ſimilata fit pleuritis, ſpuria, & non vera, quippe quæ à flatibus oriatur. Vid. n. 52.

A No 18. Panis calidus ſitim & repletionem repentinam inducit, ob ſiccandi vim, & quia tarde tranſit.

B No 35. In acutis morbis venam ſecabis ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habeant in vigore ætatis fuerint, & robur ipſis affuerit.

C No 36. Quicumque partes inflammatas ab initio aggrediuntur purgatione ſolvere, ij non modo quidquam de parte inflammata adimunt, neque enim cedit cruda adhuc paſſio; ſed majorem etiam reddũnt affectum, & partes ſanas colliquefaciunt. repetit Lib. de Veratri uſu n. 33.

D No 39. In agina ſanguinem è brachio detrahes; mox venas quæ ſub lingua ſunt, ambas ſecabis.

E Text. 116. Alvo fluente ſanguinem non detrahes quicumque.

F No 54. Si in pleuritide dolor ten-

dat ad claviculam, aut circa mammam, & brachium, Venam in brachio ſecare oportet internam, utra autem fuerit parte in ea ipſa, detrahere autem ſanguinem oportet, juxta corporis habitum, & tempus, & ætatem, & colorem plus & confidenter, & ſi acutus fuerit dolor, ad animi uſque deliquium.

Repetit lib. 1. de Morb. n. 25. firmat Gal, lib. de Venæ Sectione. *A*

In curatione, inquit, pleuritidis ne verearis multum detrahere donec ſanguis rubrior aut flavior, aut pro eo luvidus appareat, utrumque enim accidit; Ejus ſiquidem tranſſumptionis qua nonnihil ſanguinis effuſi rapitur in vulneratam venam, conſtituit ſignum ipſius ſanguinis mutatio. *B*

Quod ſuadet ratio, nam ideo tollitur ſubitò dolor ab illa larga miſſione ſanguinis, quia ſimul cum inflammatione materia extravaſata & conjuncta tollitur; quæ Dolorem, tenſionem & ſolutionem continui facit: Quod autem Materia extravaſata iterum ſubeat venas; omnes doctores confirmant, imo Gal. lib. 6. de *C*

loc affect.cap.4. Aſſerit ſe vidiſſe vomicam pulmonis expurgatam fuiſſe per urinas ; atracto videlicet pure à pulmone, & per arteriam venoſam in ſimſtrum cordis ventriculum, & ab ipſo per aortam ad cæliacam, & ab ea ad renes, & ab ipſis per vreteras ad veſicam deſcendiſſe. Andræas Laurentius & Theophile Gelèe lib. 9. quæſt. 12. Hanc veritatem confirmant, dicuntque ſe vidiſſe Mompelij civem, qui per intervalla ſyncope correptus, urinæ rubræ & purulentæ vacuatione liberabatur ; Mortuo cive & aperto cadavere tota capacitas pectoris inventa eſt plena humore ſubtili & purulento, ſiniſter verò cordis ventriculus eodem humore infectus qui per urinas vacuabatur.

A Hollerius & Duretus in enarratione cap. de ardore urinæ ; Alterâ confirmant hiſtoriâ, Mulieris quæ à longo tempore urinam purulentam cum dolore intolerabili reddere ſolita erat ; qua mortua & ejus cadavere aperto duo calculi cum abſceſſibus parvis & purulentis in ſiniſtro cordis ventriculo inventi ſunt, quod quidem pus veſica & renibus illæſis per urinas va-

cuabatur. Ex quo patet humores ſubire venas, id ego vidi, Romæ ann. 1638. In Xenodochio Sancti Ioannis Laterani, in Iuvene, qui laborans phlegmone in inguine, per receſſum pus omne excrevit tumore penitus evaneſcente; quod fieri non potuiſſet niſi materia venas ſubijſſet, & ab ijs ad inteſtina emanaſſet, ſive per anaſtomoſes, ſive per pororum tranſpirationem: Nam conſenſus unus, & conſpiratio una teſte Hypp. Epid. 1. & Gal. Meth. Med. 1.

Vnde ſic licet ratiocinari; ſi materia craſſa & purulenta extravaſata venas ſubeat, quid ni ſanguis extravaſatus **A** tenuis & fervens nec adhuc putridus venas ſubibit; Maximè dum adeſt vacuitas venarum à copioſa miſſione ſanguinis facta, quæ ipſum trahit metu vacui. Vnde Zac. Luſitan. lib. 3. Prax. admirand. obſer. 117. ait, in pleuritide per copioſam phlebotomiam evacuari totum & partem affectam, nempe ſanguinem fluxum & fluxurum, materiam conjunctam & antecedentem. Repetit de Medic. princ. hiſt. lib. 1. hiſt. 8. quæſt. 7.

& hiſtor. 76. dubio 46.

Hic Nota; pus in capacitate pectoris contentum non ſolum ſubire arteriam
A venoſam, ſed interdum etiam venam Azigos per quam ſanguis effluit, ex hac in venam cavam, & à cava interdum per Emulgentes ad renes, interdum per mezaraicais ad ventriculum & inteſtina. Ex Ætio, Fallopio, Paulo, &c. Quod ego etiam vidi loco Caſtri Sancti Montani in uxore de Chautar, quæ Empyica pus per ſeceſſum egerebat. Qui verò per ſeceſſum pus vacuant, omnes moriuntur, teſte Hypp. in coacis ut huic ſupradictæ contigit.

De Iudicationibus.

B No 7. In febribus, mutatio urinarum longitudinem ſignificat.

C No 9. Quæ febres ſine ſignis coctionis & non diebus judicatorijs finiuntur, malignius retrocedunt. repet. lib. 2. præced. n. 29.

D No 11. Quibus in febribus aures obſurduerint, ijs non ſoluta febre inſanire neceſſe eſt; Soluit autem ſanguis è naribus erumpens, aut alvus bilioſa egerens, aut dyſſenteria

accedens, aut coxarum, aut genuum dolor, idem Repetit *aph.* 60. *ſect.* 4 A

De Diebus Iudicatorijs.

N° 2. Si per febrem partes circa faciem gracileſcant, ſequenti die ſoluetur morbus.

APHORISMI. MORB. CONvenientes.

B

Ad capitis Dolorem.

Si æſtas ſicca & aquilonia fuerit, Autumnus autem pluvioſus & auſtralis, dolores capitis Hyeme fiunt, tuſſes, raucitates, atque gravedines, nonnullis etiam & tabes. *aph.* 13. *ſect.* 3.

Suffitus aromatum muliebria ducit, ſæpius verò & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret gravitatem. *aph.* 28. *ſect.* 5.

Quicumqne ſani dolore capitis repentè capiuntur & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. *aph.* 51. *ſect.* 6.

Quibus febricitantibus urinæ perturbatæ ſunt veluti Iumentorum, ijs

dolores capitis adſunt, vel aderunt. *aph.* 70. *ſect.* 4.

Lac dare caput dolentibus, malum, malum autem & febricitantibus, & quibus Ilia ſuſpenſa murmurant, & quibus bilioſæ ſunt dejectiones, & ſiticuloſis, convenit autem & tabidis dare, & qui febribus longis laborant, & præter rationem conſumptis. *aph.* 57. *ſect.* 5.

Dolenti poſteriorem capitis partem, recta in frontem vena ſecta prodeſt. *aph.* 69. *ſect.* 5.

Capite dolenti & vehementer laboranti pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit. *aph.* 10. *ſect.* 6.

Ad Lethargum.

In Lethargo tremor, malum. *aph.* 21. *ſect.* 6. Rationem reddit Gal. in Comm. Quia materia morbifica in nervos rapitur; vel quia maximam cerebri infirmitatem teſtatur. Nullus etenim motus naturalis fit per ſomnum.

Vbi ſomnus laborem facit, mortale. Si verò juvat, non mortale. *aph.* 1. *ſect.* 2.

Ad Apoplexiam.

Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, eos repente mutos fieri eſt neceſſe. *aph.* 60. *Sect.* 7.

In morbis melancholicis decubitus humorum ad caput ſunt periculoſi. Aut enim Apoplexiam, aut convulſionem, aut furorem, aut cœcitatem ſignificant. *aph.* 56. *Sect.* 6.

Apoplexiæ fiunt in ætatibus à quadrageſimo anno, uſque ad ſexageſimum. *aph.* 67. *Sect.* 6.

Solvere Apoplexiam fortem impoſſibile, debilem verò non facile. *aph.* 42. *Sect.* 2.

Ad Melancholiam.

Si metus, & mæſtitia longo tempore perſeverent, Melancholicum eſt. *aph.* 23. *Sect.* 6.

Melancholicos melius per inferiora purgabis, eadem ratione contraria apponentes. *aph.* 9. *Sect.* 4.

Inſanientibus ſi Varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. *aph.* 21. *Sect.* 6.

Melancholiâ & Nephritide laborantibus Hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. *aph.* 11. *Sect.* 6.

In morbis Melancholicis, decubitus humorum ad partes capitis periculoſi: aut enim Apoplexiam, convulſionem, furorem, aut cæcitatem ſignificant. *aph. 56. ſect. 6.*

Ad Phrenitidem & Delirium.

Vbi ſomnus Delirium ſedat, bonum. *aph. 2. ſect. 2.*

Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores; quæ verò ſerio periculoſiores. *aph. 53. ſect. 6.*

A peripneumonia delirium, malum. *aph. 12. ſect. 7.*

Quibus Vrinæ perſpicuæ ſunt & albæ, malæ. Præſertim ſi in phreniticis appareant. *aph. 72. ſect. 4.*

A multa potatione rigor, & deſipientia, malum. *aph. 7. ſect. 7.*

A proſſluvio ſanguinis deſipientia, & convulſio, malum. *aph. 9. ſect. 7.*

Ab Ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum. *aph. 10. ſect. 7.*

Ex capitis ictu deſipientia, & obſtupeſcentia, malum. *aph. 14. ſect. 7.*

In oſſis capitis præciſione, ſi in vacuum uſque penetraverit, deſipientia. Aph. 25. ſect. 7. Per in vacuum,

intelligit in membranas, vel in cerebri ſubſtantiam. Ex Comm. Gal.

A Vigilia convulſio, aut deſipientia, malum. *aph.* 18. *ſect.* 7.

Ad Maniam.

Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. *aph.* 21. *ſect.* 7. A

A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua intercutem, vel mentis alienatio, bonum. *aph.* 5. *ſect.* 7.

Ex capitis ictu deſipientia, vel obſtupeſcentia, malum. *aph.* 14. *ſect.* 7.

Quicumque ſupra quadraginta annos fiunt phrenitici, non ita valde ſani fiunt; minus enim periclitantur quorum naturæ & ætati magis congruit morbus, quam quibus non congruit. *aph.* 85. *ſect.* 7.

Ad Epilepſiam. B

Quicumque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur. *aph.* 45. *ſect.* 2.

Quibuſcumque morbi comitiales ſiunt ante pubertatem, mutationem ccipiunt, quibuſcumque verò vi-

5. *ſect.* 5.
geſimo quinto anno, commoriuntur. *aph.* 7. *ſect.* 5.

Ad Nervorum affectus.

A Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, Nervis, ſpinali medullæ, calidum verò amicum & utile. *aph.* 18. *ſect.* 5.

Cum diſciſſum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit. *aph.* 19. *ſect.* 7.

Ad Nervorum Tremores.

B Quibus in ardentibus tremores fiunt, iis delirium ſuccedit. *aph.* 26. *ſect.* 6.

Ad Stuporem & torporem.

C Tumores articulorum, & dolores ſine ulcere, podagricos quoque dolores, & convulſiones, horum quidem plurima aqua frigida ſuper affuſa levat, doloremque minuit ac ſoluit, ſtupor enim mediocris dolorem ſedat. *aph.* 25. *ſect.* 5.

Ex capitis ictu obſtupeſcentia & deſipientia, malum. *aph.* 14. *ſect.* 7.

Si linqua incontinens repente fiat, aut aliqua corporis pars ſtupore elan-

gueat, tale eſt melancholicum. *aph.* 41. *ſect.* 7.

Ad Convulſionem.

In febribus acutis convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum. *aph.* 66. *ſect.* 4.

In febribus, à ſomno Pavores, vel convulſiones, malum. *aph.* 67. *ſect.* 4.

Qui à convulſione aut diſtenſione tenentur, febre ſuperveniente liberantur. *aph.* 57. *ſect.* 4.

Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem. *aph.* 26. *ſect.* 2.

Frigidum convulſiones, diſtenſiones, livores, & febriles rigores inducit. *aph.* 17. *ſect.* 5.

Convulſio à veratro lethalis. *aph.* 1. *ſect.* 5.

Convltio à vulnere lethalis. aph. 2. ſect. 5.

Vbi ſanguis plurimus fluxerit ſingultus aut convulſio ſuperveniens malum. *aph.* 30. *ſect.* 5.

Si Ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur; aut ubi ad horam pervenerit, qua ſoluuntur crapulæ. *aph.*

In fluxu muliebri ſi convulſio, & animi deffectus advenerit, malum, *aph.* 57. *ſect.* 5.

Qui quartana laborant, convulſionibus non capiuntur, ſi vero ante advenerint, & quartana ſuccedat, ceſſant. *aph.* 71. *ſect.* 5.

Ab Ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum. *aph.* 10. *ſect.* 7.

A Vigilia convulſio, aut deſipientia, malum. *aph.* 18. *ſect.* 7.

Ad Tetanum.

A Qui à convulſione aut diſtenſione tenentur, febre ſuperveniente liberantur. *aph.* 57. *ſect.* 4.

Convulſio fit à repletione & Inanitione ita & ſingulus. *aph.* 39. *ſect.* 7.

Quicumque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, ſi verò hos effugerint, ſani fiunt. *aph.* 6. *ſect.* 5.

Frigidum convulſiones, diſtenſiones, livores, & febriles rigores inducit. *aph.* 17. *ſect.* 5.

Nonnumquam in tetano ſine ulcere, juvene bene carnoſo, æſtate media, frigidæ multa perfuſio, calorem re-

vocat; calor autem hæc ſoluit. *aph.* 21. *ſect.* 5.

Ad oculorum Affectus.

Si in febre non intermittente labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quidquid horum acciderit, mors in proximo eſt. *aph.* 49. *ſect.* 4. **A**

Conſiderare oportet oculorum in dormientibus ſuſpectiones, nam ſi quid album commiſſis palpebris ſubinſpiciatur, neque ex alui profluvio aut medicamenti potione contingat, malum eſt ſignum & lethale valde. *aph.* 52. *ſect.* 7. repetit in progn.

Lippientem alui profluvio corripi, bonum. *aph.* 17. *ſect.* 5.

Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamenti potio ſoluit. *aph.* 31. *ſect.* 6.

Dolores oculorum poſt meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ ſectione curato. *aph.* 48. *ſect.* 7.

Ad lachrymas. **B**

Qui in febribus, aut aliis morbis

voluntariè illachrymant, nihil abſurdi: qui vero involuntarie, abſurdius, *aph.* 52. *ſect.* 4.

Ad aurium Affectus.

Quibus bilioſæ ſunt deiectiones hæ ſuperveniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat. *aph.* 28. *ſect.* 4.

Quibus in febribus aures obſurduerint, iis ſanguis è naribus profluens aut alvus turbata morbum ſoluit. *aph.* 60. *ſect.* 4.

Ad Narium Affectus.

Raucedines & gravedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. *aph.* 42. *ſect.* 2.

Vt ſecundæ procidant ſternutatorio impoſito nares & os comprime. *aph.* 49. *Sect.* 5.

Si Mulier non concipit, ſcire autem vis an conceptura ſit, pannis circumtectam inferne ſuffias, & ſi odor videatur per corpus ire, ſcito quod ex ſe ſterilis non ſit. *aph.* 60. *Sect.* 5.

Quibus nares natura humidiores & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur; quibus contra accidit, ſalubrius degunt. aph. 2. ſect. 6.

Ad Hæmorrhagiam.

Sanguinem quidem ferri ſupra, qualiſcumque ſit, malum, infra autem cum niger deiicitur, bonum. aph. 25. ſect. 4. *A*

Menſtruis defficientibus ſanguis è naribus fluens morbum ſoluit. aph. 33. ſect. 5.

Capite dolenti & vehementer laboranti pus vel aqua vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit. aph. 10. ſect. 6.

Quibus in febribus quartanis ſanguis è naribus fluxerit, malum. aph. 87. ſect. 6.

Ad Catharrum.

Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica; tuſſes movent, ſanguinis profluvium & diſtillationes. aph. 24. ſec. 5. *B*

Digitized by Google

Diſtillationes in ventrem ſuperiorem intra viginti dies ſuppurantur. aph. 39. ſect. 7.

Ad ſternutationem.

A Mulieri quæ ab uteri ſtrangulationibus infeſtatur, aut quæ difficulter parit, ſternutamentum ſuperveniens bonum. aph. 35. ſect. 5.

Singultienti ſi ſternutamentum ſupervenerit, tollit ſingultum. aph. 13. ſect. 6.

Ad labiorum Affectus.

C Si in febre non intermittente labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus, pervertatur; vel non audiat, vel non videat, iam debili exiſtente corpore, quidquid horum acciderit, mors in proximo eſt, aph. 49. ſecr. 4.

Ad Oris Affectus.

B Non febricitantibus ſi cibi faſtidium accidat, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo; purgatione per ſuperiora egere ſignificat. aph. 17. ſect. 4.

Digitized by Google

Non febricitantibus, ſi tormina acciderint, genuum gravitas, & lumborum dolor; purgatione per inferiora egere ſignificat. aph. 20. ſect. 4.

Ad linguæ Affectus.

Balbi, alui profluvio maximè capiuntur. aph. 32. ſect. 6. A

Si lingua incontinens repente fiat, aut aliqua corporis pars ſtupore elangueat, tale eſt melancholicum. aph. 41. ſect. 7.

Ad Dentium Affectus.

Quibus in febribus iuxta dentes lentiores fiunt, ijs fortes fiunt febres. aph. 53. ſect. 4.

Frigida inimica oſſibus, dentibus, pectori, cerebro, ſpinali medullæ; calida verò amica & utilia. aph. 18. ſect. 5.

Ad Gutturis & Tonſillar. Affectus.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet, nam ſi bilioſæ fuerint, unà corpus ægrotat, ſi verò ſimiles ſanis tutum eſt corpus nutrire. aph. 15. ſect. 2,

Qui ſtrangulantur, nondum autem mortui ſunt; non redeunt ad vitam quibus ſpuma circa os fuerit. aph. 43. ſect. 2.

Si febricitanti nullo exiſtente in faucibus tumore, ſtrangulatio ſubitò accidat, lethale. aph. 34. ſect. 4.

Si febricitanti collum repentè pervertatur ut vix deglutire poſſit, nullo apparente tumore, lethale. aph. 35. ſect, 4,

Ad Anginam.

A Angina correpto ſi tumor in collo ſiat, bonum. Foras enim morbus deducitur. aph. 37. ſect. 6.

Ab angina habito, tumor, vel rubor in pectore ſuperveniens, bonum. Extra enim vertitur morbus. *aph.* 51. *ſect.* 7.

Ad Aſthma.

B Si in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium accidat, lethale. *aph.* 50. *ſect.* 4.

Qui Gibbi ex Aſthmate fiunt, ante pubertatem vel ex tuſſi moriuntur. *aph.* 46. *ſect.* 6. Ob prohibitam ſcilicet thoracis dilatationem.

Ad Vocem.

Si Ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua ſoluuntur crapulæ, vocem recuperet.. *aph.* 5. *ſect.* 5. A

Quicumque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertut, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. *aph.* 51. *ſect.* 6

Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, eos repente mutos fieri eſt neceſſe. *aph.* 60. *ſect.* 7.

Ad Tuſsim.

Quibus tuſſes ſiccæ modicè irritantes in ardentibus durant, hi non admodum ſiticuloſi. *aph.* 54. *Sect.* 4. B

Frigida qualis nix & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, ſanguinis profluvium & diſtillationes. *aph.* 24. *Sect.* 5.

Aquâ inter cutem laborantibus, tuſſis ſuperveniens, malum. *aph.* 35. *Sect.* 6.

Si hydropicum tuſſis habeat, deſperatus eſt. *aph.* 49. *Sect.* 7.

Qui Gibbi ex Aſthmate fiunt, aut

tuſſi, anter pubertatem moriuntur. *aph.* 46. *Sect.* 7.

Ad ſputum ſanguinis.

A Sanguinem ferri ſupra, qualiſcumque ſit, malum. Infra autem, bonum cum niger deiicitur. *aph.* 25. *Sect.* 4.

Qui ſanguinem ſcreant ſpumoſum, iis de pulmone educitur. *aph.* 13. *Sect.* 5.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum. *aph.* 15. *Sect.* 7.

Ad plevritidem.

B Acceſſiones & conſtitutiones, morbi ipſi, anni tempora, & circuituum ſucceſſiva incrementa, ſtatum morborum indicabunt, quemadmodum in plevritide ſi ſputum ſtatim appareat, morbum breviat, ſi verò poſtea appareat, producit: quin etiam & urinæ, & alui excrementa, & ſudores, iudicatu faciles, vel difficiles, vel longos, vel breves fore morbos oſtendunt. *aph.* 12. *ſect.* 1.

Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, in Empyema tranſeunt. *aph.* 8. *ſect.* 5.

Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberantur; ſi verò non, ad tabem traneunt. *aph.* 15. *ſect.* 5.

A plevritide & peripneumonia detento, fluxus ventris ſuperveniens, malum. *aph.* 16. *ſect.* 6.

Qui acidum eructant, non facilè morbo laterali corripiuntur. aph. 23. ſect. 6.

A plevritide peripneumonia, malum. *aph.* 11. *ſect.* 7.

Ad Peripneumoniam.

Plevritide & peripneumonia correpto, fluxus ventris ſuperveniens, malum. *aph.* 16. *ſect.* 6.

A plevritide peripneumonia, malum. aph. 11. ſect. 7.

A peripneumonia delirium, malum. aph. 12. ſect. 7.

Ad Empyema.

Quicumque morbo laterali laborantes in quatuor decim diebus non repurgantur, ad Empyema tranſeunt. *aph.* 8. *ſect.* 5.

Qui ab angina liberantur, & ad pulmones malum tranſit, infra ſeptem

diebus moriuntur ; ſi vero hos effugerint, ſuppurantur. *aph.* 10. *ſect.* 5.

Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur à die à qua fit ruptio, liberantur ; ſi verò non, ad tabem tranſeunt. *aph.* 15. *ſect.* 5.

Quibus ſuppuratio aliqua in corpore abdita non innoteſcit, iis vel propter craſſitudinem puris, vel loci deliteſcit. *aph.* 46. *ſect.* 6.

Ab Eriſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum. *aph* 20. *ſect.* 7.

Diſtillationes in ventrem ſuperiorem intra viginti dies ſuppurantur. *aph.* 39. *ſect.* 7. intellige de vero Empiemate, non de ſpurio. *aph.* 36. *ſect.* 7

Quicumque ſuppurati uruntur, aut ſecantur, ſi pus purum fluxerit & album, evadunt, ſi vero ſubcruentum, fœculentum & fœtidum, pereunt. *aph.* 46. *ſect.* 7.

Ad Pthyſim, ſeu Tabem.

Tabidos per inferiora purgabis, cavendo ſuperiora. *aph.* 8. *ſect.* 4.

Tabes fiunt præcipuè à decimo octavo anno uſque ad trigeſimum quintum. *aph.* 9. *ſect.* 5.

Qui

Qui tabe moleſtantur, ſi ſputum quod extuſſiunt, iniectum carbonibus male olet, & capilli à capite deffluunt, lethale. *aph.* 11. *ſect.* 5.

Quibuſcumq; tabe laborantibus capilli à capite deffluunt, hi alui proffluvio ſuperveniente, moriuntur. *aph.* 12. *ſect.* 5.

Tabe laboranti, proffluvium alui ſuperveniens, lethale. *aph.* 14. *ſect.* 5

A puris ſputo tabes, & fluxus, cum verò ſputum retinetur, moriuntur. *aph.* 16. *ſect.* 7.

A Sanguinis ſputo tabes, & puris per ſuperiora purgatio, ex tabe; fluxus ex capite; è fluxione, alui proffluvium; ex alui proffluvio, purgationis per ſuperiora retentio; à puris retentiones, mors. *aph.* 82. *ſect.* 7.

A Diuturnis ſanato hæmorrhoidibus ſi una non ſervatur, periculum eſt aquam inter cutem vel tabem advenire. *aph.* 12. *ſect.* 6.

Lac Dare caput dolentibus, malum; malum autem & febricitantibus, & quibus ilia ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis: convenit autem & tabidis dare, & qui febribus longis labo-

rant, & præter rationem conſumptis. *aph.* 65. *ſect.* 5.

Ad Syncopem.

A Qui ſanitate corporis fruuntur medicamenta aſſumentes ſtatim exoluuntur; & qui plurimo utuntur cibo. *aph.* 36. *ſect.* 2.

Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta exoluuntur, repente moriuntur. *aph.* 41. *ſect.* 2.

In fluxu muliebri, ſi convulſio, & animi deffectus advenerit, malum. *aph.* 57. ſect. 5.

Ad Mammarum affectus.

B Mulieri Gravidæ ſi mammæ repente extenuentur, abortit. *aph.* 37. *ſect.* 5.

Mulieri Gravidæ Geminos ferenti, ſi altera mamma extenuatur, alterum abortit, ſi dextra, marem; ſi ſiniſtra, fœminam. *aph.* 38. *ſect.* 5.

Si Mulier quæ neque gravida eſt, nec peperit, lac habet, huic menſtrua deffecerunt. *aph.* 39. *ſect.* 5.

Si Mulieri coacervatur ſanguis in mammis, furorem ſignificat. *aph.* 40. *ſect.* 5.

Mulieri utero gerenti ſi lac è mammis plurimum effluat, imbecillum eſſe fœtum ſignificat, ſi vero ſolidæ

mammæ fuerint, ſaniorem eſſe. *aph.* 53. *ſect.* 5.

Si Menſtrua mulieri ſiſtere velis, cucurbitulam magnam ſub mammis deffige. *aph.* 50. *ſect.* 5

Ad Ventriculi affectus, & hypoth.

Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, plurimo egent alimento; alioquin corpus abſumeretur; ſenibus A
verò parum calidi innati ineſt, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguntur. Hanc etiam ob cauſam ſenes febre acuta non corripiuntur, frigidum enim eſt eorum corpus. *aph.* 14. *ſect.* 1.

Non febricitanti, ſi cibi faſtidium accidat, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora egere ſignificat, *aph.* 14. *ſect.* 4.

In febribus, circa ventriculum vehemens æſtus, & cordis morſus, malum. *aph.* 65. *ſect.* 4.

Si in Ventrem ſanguis præter naturam effluxerit, neceſſum eſt ſuppurari. *aph.* 20. *ſect.* 6.

A ventris diuturno dolore, ſuppuratio. *aph.* 23. *ſect.* 7.

Digitized by Google

Quibus elata hyppocondria murmurant, hi fluxu ventris ſuperveniente liberantur, niſi urinæ craſſioris multum effluxerit, aut flatus eruperint. *aph.* 73. *ſect.* 4.

Ad Famem.

A Vbi fames, laborandum non eſt. *aph.* 15. *ſect.* 2.

Famem Vini potio ſoluit. *aph.* 21. *ſect.* 2.

Corporibus carnes humidas habentibus, famem adhibere convenit; fames enim corpora ſiccat. *aph.* 61. *ſect.* 7.

Ad Sitim.

B Facilius eſt impleri potu, quam cibo. *aph.* 11. *ſect.* 2.

Qui Medicamentis purgati non ſitiunt, non quieſcunt priuſquam ſitiant. *aph.* 19. *ſect.* 4.

Quibus Tuſſes ſiccæ modicè irritantes in ardentibus diu durant, hi non admodum ſiticuloſi. *aph.* 56. *ſect.* 4.

Qui Noctu bibere appetunt, iis admodum ſitientibus ſi ſuperdormierint; bonum. *aph.* 27. *ſect.* 5.

Ad Vomitum.

In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur qualia conveniunt, confert, & leviter ferunt, ſin minus contra; ſic & vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant, ſin minus contra. *aph.* 2. *ſect.* 1. A

Si vis helleborum purgare, corpus move, ſin minus ad ſomnum & quietem duc, Indicat autem navigatio turbari motione corpus. *aph.* 14. *ſect.* 4.

Æſtate medicari ſuperiores magis, hyeme inferiores. *aph.* 4. *ſect.* 3.

Longo alui proffluvio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperveniens, morbum ſoluit. *aph.* 15. *ſect.* 6.

Tabidos per inferiora purgabis cavendo ſuperiora. *aph.* 8. *ſect.* 4.

Melancholicos plenius per inferiora purgabis. *aph.* 9. *ſect.* 4.

Non febricitanti ſi cibi faſtidium accidat, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione

per ſuperiora egere ſignificat. *aph.* 17. *ſect.* 4.

Quibus præciditur cerebrum, iis neceſſe eſt febrem & bilis vomitum ſupervenire.

Ab Ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium; malum. *aph.* 10. *ſect.* 7.

Ad ſingultum.

A Ex Nimia potatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum.

Recto Inteſtino & utero inflammatione affectis, renibuſque purulentis, urinæ ſtillicidium accidit. Iecoris vero inflammationem, ſingultus ſequitur. *aph.* 59. *ſect.* 5.

Singultienti, ſi ſternutamentum ſupervenerit tollit ſingultum. *aph.* 13. *ſect.* 6.

A Vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum. *aph.* 3 *ſect.* 7.

Ab Ileo ſingultus, vomitus, convulſio, aut delirium; malum. *aph.* 10 *ſect.* 7. *Vid. ad ructum.*

B *Ad Ructum.*

In longis lævitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſupervenerit, qui prius non aderat; bonum. *aph.* 1. *ſect.* 7.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur. *aph.* 33. *ſect.* 6.

Convulſio fit à repletione & inanitione; ita & ſingultus. *aph.* 39. *ſect.* 7.

Ad Hyppocondriorum affectus. A

Quibus in febribus morbus regius, ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel decimo quarto ſucceſſerit, bonum. Niſi Hyppocondrium dextrum obduruerit, alioqui non bonum. *aph,* 64. *ſect.* 4.

Quibus Hyppocondria ſuſpenſa murmurant, iis lumborum dolore accedente, alui humectantur, niſi urinæ craſſioris copia fluxerit, aut flatus eruperint. *aph.* 73. *ſect.* 4.

Quibus dolor circa hypocondrium fit, citra inflammationem, iis febris ſuccedens, morbum ſoluit, & dolorem. *aph.* 40. *sect.* 6.

Ad Hepatis affectus.

Hepar durum fieri, regio morbo correptis, malum. *aph.* 42. *sect.* 6. B

In hepatis inflammatione, ſingultus, malum. *aph.* 17. *ſect.* 7.

Qui Iecore ſuppurato uruntur aut

ſecantur, ſi pus purum fluxerir & album, evadunt, iis enim pus concluſum in membrana eſt; ſi verò velut amurca, moriuntur. *aph.* 47. *sect.* 7.

Quibus hepar vehementer dolet, iis febris ſuperveniens ſoluit morbum, *aph.* 54. *sect.* 7.]

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur. *aph.* 57. *sect.* 7.

Ad Cachexiam & Leucophleg.

A Qui leucophlegmatia detinentur, ſi fluxus ventris ſupervenerit vehemens, liberantur. *aph.* 13. *ſect.* 7.

Albæ pituitæ, aqua intercus ſupervenit. *aph.* 78. *sect.* 7. Intelligit de leucophlegmatia incipiente, quam vacuare ad vitandum hydropem convenit.

Ad Tympanitem.

B Quibus adſunt tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento neque aliter ſoluitur, hydrops ſiccus ſuccedit. *aph.* 11. *sect.* 4.

Ad Aſcitem & omn. Hydrop.

C Vlcera in hydropicis difficulter ſanantur. *aph.* 8. *sect.* 6.

Aqua inter cutem correpto ſi aqua quæ in venis eſt in ventrem fluxerit, & per ſeceſſum vacuetur, mali ſit ſolutio. *aph.* 14. *ſect.* 6.

Quicumque hydropici vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua repente fluxerit, moriuntur. *aph.* 27. *ſect.* 6.

Aqua inter cutem laborantibus tuſſis ſuperveniens, malum. *aph.* 35. *ſect.* 6.

Si hydropicus tuſſim habeat, deſperatus eſt. *aph.* 49. *ſect.* 7.

Albæ pituitæ aqua intercus ſupervenit. *aph.* 77. *ſect* 7.

Ad Icterum.

Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum. *aph.* 62. *ſect.* 4. *A*

Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono vel undecimo, vel decimo quarto die ſucceſſerit, bonũ: niſi hyppocondriũ dextrum obduruerit, alio qui non bonum. *aph.* 64. *ſect.* 4.

Qui regio morbo laborant, non admodum flatuoſi ſunt. *apha.* 73. *ſect.* 5.

Hepar durum fieri regio morbo correptis, malum. *aph.* 42. *ſect.* 6.

Ad Lienis affectus.

A Quicumque lienoſi difficultate inteſtinorum capiuntur, ſi longa fuerit; eos aqua inter cutem, aut levitas inteſtinorum excipit, & moriuntur. *aph.* 43. *sect.* 6.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperveniens, bonum. *aph.* 48. *Sect.* 6.

Ad Alui fluxum.

B In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia deiiciuntur, qualia conveniunt, confert, & leviter ferunt: ſin minus contra. Sic & vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene tolerant; ſin minus contra. *aph.* 2. *ſect.* 1.

In profluvio alui, mutationes excrementorum iuvant, niſi ad mala mutatio fiat. *aph.* 14. *Sect.* 2.

Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, hæ ſuperveniente ſurditate ceſſant; quibus verò ſurditas adeſt; ſupervenientibus ceſſat. *aph.* 28. *Sect.* 4.

Quibus in bilioſis dejectionibus febribus aures obſurduerint, ijs ſanguis

è naribus profſluens, aut alvus turbata, morbum ſoluit. *aph.*40. *Sect.* 4.

Quibuſcumque tabe laborantibus capilli à capite defſluunt, hi alui profſluvio ſuperveniente moriuntur, *aph.* 12. *Sect.* 5.

Tabe laboranti profſluvium alui ſuperveniens, lethale. *aph.* 14. *Sect.* 5.

Longo alui profſluvio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperveniens, morbum ſoluit. *aph.* 15. *Sect.* 6.

Lippientem alui profſluvio corripi, bonum. *aph.* 17. *Sect.* 6.

Balbi alui profſluvio maxime capiuntur. *aph.* 32. *Sect.* 6.

Qui leuco phlegmatia detinetur, ſi fluxus ventris ſupervenerit vehemens, liberatur. *aph.* 30. *Sect.* 7.

Quibus in alui profſluviis excrementa ſpumoſa ſunt, iis è capite pituita defſluit. *aph.* 30. *Sect.* 7.

A Dyarrhæa, dyſſenteria. *aph.* 79. *Sect.* 7.

Mulieri utero gerenti ſi alvus multum profſluat, periculum eſt ne abortiat. *aph.* 34. *Sect.* 5.

Ad Dyſſenteriam.

Deiectiones nigræ ſanguini atro

ſimiles, ſponte prodeuntes ſive cum febre, ſive ſine febre, peſſimæ, & quanto colores fuerint plures, eò deteriores, à medicamento autem deijci talia, bonum. *aph.* 21. *Sect.* 4.

Deiectiones nigræ in febribus, malæ. Commodè ſi prodeant, bonæ. *aph.* 47. *Sect.* 4.

Morbis incipientibus ſi atra bilis superne, vel infernè prodierit, lethale. *aph.* 22. *Sect.* 4.

Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile incipiat, lethalis. *aph.* 24. *Sect.* 4.

In longis difficultatibus inteſtinorum, cibi faſtidium; malum, & cum febre, peius. *aph.* 3. *Sect.* 6.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperuniens, bonum. *aph.* 48. *Sect.* 6

A Dyarrhæa, dyſſenteria. *aph.* 79. *Sect.* 7.

A Dyſſenteria, lienteria. *aph.* 80. *Sect.* 7.

Ad Lienteriam.

In longis lævitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus ſupervenerit, bonum. *aph.* 1. *Sect.* 6.

Quicumque lienoſi difficultate inteſtinorum capiuntur, eos aqua in-

ter cutem, aut lævitas inteſtinorum excipit, & moriuntur. *aph.* 43. *Sect.* 6.

A Dyſſenteria, lienteria. *aph.* 80. *Sect.* 7.

Ad Teneſmum.

Mulieri utero gerenti ſi teneſmus A
ſupervenerit, facit abotrum. *aph.* 28. *Sect.* 5.

Ad Ileon.

Ab Ileo vomitus, aut ſingultus, B
aut convulſio, aut delirium; malum. *aph.* 10. *Sect.* 7.

Ad Inteſtinorum Affectus.

Recto inteſtino & utero inflamma- C
tione affectis, renibuſque purulentis, urinæ ſtillicidium accidit, iecoris verò inflammationem ſequitur ſingultus. *aph.* 49. *Sect.* 5.

Si quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit. *aph.* 24. *Sect.* 6.

Ad Ventris Dolor. ſeu colicam.

Quibus adſunt tormina, & circa D
umbilicum labores, & lumborum dolor; qui neque à medicamento, neque aliter ſoluitur, hydrops ſiccus ſuccedit. *aph.* 11. *Sect.* 4.

In febribus acutis convulſiones, &

circa viſcera vehementes dolores, malum. *aph. 66. Sect. 4.*

Dolores ventris ſublimes, leviores: non ſublimes, fortiores. *aph. 7. ſect. 6.*

A Ventris diuturno dolore ſuppuratio. *aph. 23. ſect. 7.*

In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas; malum. *aph. 27. ſect. 7.*

Ad Hæmorrhoidas.

A Melancholia & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. *aph. 11. Sect. 6.*

A Diuturnis ſanato hæmorrhoïdibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt aquam inter cutem, vel tabem advenire. *aph. 12. Sect. 6.*

Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. *aph. 21. Sect. 6.*

Ad Renum affectus

B Quibus cum urina craſſa carunculæ parvæ aut veluti capilli exeunt, à renibus excernuntur. *aph. 74 Sect. 4.*

Quicumque ſanguinem repente mingunt, iis in renibus vena rupta ſignificatur. *aph. 78. ſect. 4.*

Melancholia & nephritide labo-

rantibus hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. *aph.* 11. *ſect.* 6.

Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur. *aph.* 60. *ſect.* 6.

Quibus in urinis ſupernatant bullæ, iis morbum fore longum ſignificant. *aph.* 35. *ſect.* 7.

Quibus in urina pinguedo ſupernatat, & confertim exit, iis renum vitium, & acutum morbum ſignificat. *aph.* 36. *sect.* 7.

Ad Veſicæ affectus.

Si Sanguinem aut pus mingat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat. *aph.* 75. *sect.* 4. A

Quibus in urina velut arenulæ ſubſiſtunt, iis veſica calculo laborat. *aph.* 79. *Sect.* 4.

Si quis ſanguinem mingat, & grumos, & ſtillicidium habeat, doloremque ad imum ventrem & fæmen; ea quæ circa veſicam ſunt laborant. *aph.* 80. *Sect.* 4.

Si ſanguinem, pus, aut ſquamulas minxerit, & gravis odor adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat. *aph.* 81. *ſect.* 4.

Renum & veſicæ vitia in ſenibus coctionem non admittunt. *aph.* 60. *Sect.* 6.

Ad Stillicidium Vrinæ.

A Vrinæ ſtillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, venæ internæ ſectio ſoluit. *aph.* 50. *Sect.* 7.

Stranguriam venæ ſectio ſoluit, ſecare vero inferiores, & interiores. *aph.* 48. *ſect.* 7.

Ad Vteri affectus.

B Mulieri quæ ab ſtrangulationibus uteri infeſtatur, aut quæ difficulter parit; ſternutamentum ſuperveniens, bonum. *aph.* 35. *ſect.* 5.

Mullieres quæ denſos & frigidos uteros habent, non concipiunt, neque etiam quæ præhumidos; extinguitur enim in iis genitura; neque quæ ſiccos quæ immodice calidos, inopiâ enim alimenti corrumpitur ſemen: quæ verò in utriſque oppoſitionibus temperatum uterum habent, hæ fæcundæ ſunt. *aph.* 63. *ſect.* 5.

Ad Menſtrua.

C Plurimi morbi puerulis iudicantur in quadraginta diebus, alij in ſeptem menſibus, aliqui in ſeptem annis;

nonnulli cum ad pubertatem accedunt, quicumque autem perduratint, nec ad pubertatem deſierint aut fæminis dum menſtrua eruperint, hi conſeneſcere conſueverunt. *aph.* 28. *ſect.* 3.

Suffitus aromatum muliebria ducit, ſæpius verò & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret gravitatem. *aph.* 28. *ſect.* 5.

Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus, ſolutio. *aph.* 32. *ſect.* 5.

Menſtruis defficientibus ſanguis è naribus profluens, bonum. aph. 33. ſect. 5.

Mulieri menſes decolores, nec eodem modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam. aph. 36. ſect. 5.

Si mulier quæ neque gravida eſt, nec peperit, lac habet, huic menſtrua deffecerunt. aph. 39. ſect. 5.

Si Velis menſtrua mulieri cohibere, cucurbitulam magnam ſub mammis affige. aph. 50. ſect. 5.

In fluxu muliebri ſi convulſio, & animi deffectus advenerit, malum. aph. 57. ſect. 5.

Menſtruis fluentibus largius; morbi eveninnt; & non fluentibus, accidunt ab utero morbi. aph. 58. ſect. 5.

Si Mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. aph. 61. ſect. 5.

Mulier podagrâ non laborat, niſi menſtrua deffecerint. aph. 29. ſect. 6.

Ad fœcunditatem & ſterilitatem.

A Quæ immodicè craſſæ, concipere nequeunt, iis omentum os uteri comprimit, & priuſquam extenuentur, concipere nequeunt. *aph.* 46. *ſect.* 5.

Mulieres quæ denſos & frigidos habent uteros, non concipiunt, nec quæ præhumidos: ut ſupra de uteri affectibus.

Ad Conceptionem.

B Si Noſſe Velis an mulier conceperit, cum dormitura eſt ei aquam mulſam bibendam dato, & ſi cruciatus circa ventrem corripuerint, concepit: ſin minus, non concepit. *aph.* 41. *ſect.* 5.

Mulier ſi marem concepit, benè colorata eſt, ſi fœminam diſcolor. *aph.* 42. *ſect.* 5.

Mares in dextra uteri parte, fæminæ in ſiniſtra magis continentur. *aph.* 48. *ſect.* 5.

Si mulier non concipit, ſcire autem vis an ſit conceptura, pannis circumtectam infernè ſuffias, & ſi odor videatur nares & os permeare, ſcito quod ex ſe ipſa ſterilis non ſit. *aph.* 60 *ſect.* 5.

Si Mulieri purgationes ceſſent, neque febre, neque horrore ſurperveniente, & cibi faſtidium accidat, prægnantem eſſe putato. *aph.* 61. *ſect.* 5.

Ad Abortum.

Mulier utero gerens ſanguine miſſo è talo, abortit. *aph.* 30. *ſect.* 5. Præcipue ſi fætus ſit grandior.

Mulieri uterum gerenti ſi alvus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat. *aph.* 34. *ſect.* 5.

Mulieri gravidæ ſi mammæ repente extenuentur, abortit. *aph.* 37 *ſect.* 5.

Mulieri gravidæ geminos ferenti, ſi altera mamma extenuetur, alterum abortit. Si dextra, marem, ſi ſiniſtra, fæminam. *aph.* 38. *ſect.* 5.

Quæcumque mediocri corporis habitu præditæ ſecundo aut tertiò menſe abortiunt, ſine cauſa manifeſta: iis acetabula uteri plena mucoris ſunt, neque præ pondere fœtum continere poſſunt. *aph.* 45. *ſect.* 5.

Mulieri utero gerenti ſi teneſmus ſuperveniat, abortit. *aph.* 51. *ſect.* 5.

Mulieri utero gerenti ſi lac è mammis plurimum effluat, imbecillem fœtum eſſe ſignificat, ſi verò ſolidæ mammę fuerint, ſaniorem. *aph.* 53. *ſect.* 5.

Quæ abortum facturæ ſunt iis mammæ extenuantur, ſi verò duræ fiant, dolor erit vel in mammis, vel coxis, vel oculis, vel genibus, & non abortient, *aph.* 54. *ſect.* 5.

Quæcumque gravidæ febribus capiuntur, & valde extenuantur ſine cauſa manifeſta, difficulter pariunt, aut abortientes periclitantur. *aph.* 56. *ſect.* 5.

Si Mulier utero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum *aph.* 61. *ſect.* 6.

Ad partum Difficilem.

A Mulieri quæ ab uteri ſtrangulatio-

nibus infeſtatur, aut quæ difficulter parit, ſternutamentum ſuperveniens, bonum. *aph.* 35. *Sect.* 5.

Vt ſecundæ procidant ſternutatorio appoſito, nares apprehendito & os. *aph.* 49. *Sect.* 5.

Ad Gravidas.

Vtero gerentes ſunt medicandæ ſi materia turgeat, à quarto menſe uſque ad ſeptimum, ſed hæ minus: à juniore autem & grandiore abſtinendum. *aph.* 1. *ſect.* 4. A

Mulier gravida, venâ ſectâ abortit, & eo magis ſi fætus ſit grandior. *aph.* 30. *ſect.* 5.

Si Mulieri gravidæ in utero fiat Eriſipelas, lethale, *aph.* 43. *ſect.* 5.

Si mulieri utero gerenti purgationes prodeant, impoſſibile eſt fætum eſſe ſanum. *aph.* 61. *Sect.* 5.

Prægnantes purgabis, ſi materia ad ſui excretionem invitet, quadrimeſtres; uſque ad ſeptimum menſem; à minore vero, & grandiore fætu abſtinebus. *aph.* 39. *Sect.* 5. Vid ad fæcunditatem & abortum.

Ad Gravitatem Genuum.

Non febricitantibus ſi tormina ac- B

ciderint, genuum gravitas, & lumborum dolor, purgatione per inferiora indigere ſignificat.

Non febricitantibus ſi cibi faſtidium accidat, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora egere ſignificat. *aph.* 17. *Sect.* 4.

Ad Arthritidem.

Quos diuturnæ febres exercent, iis dolores, & labores in articulis fiunt. *aph.* 44. *Sect* 4.

Quibus tubercula vel dolores in articulis fiunt poſt diuturnas febres, hi plurimis utuntur cibis. *aph.* 45. *Sect.* 4.

Quibus ſpes eſt ad articulos futurum abſceſſum, liberat ab abſceſſu Vrina multa craſſa, & alba prodiens, ut in laborioſis febribus quarto die nonnullis exire incipit, ſi vero ſanguis è naribus profluxerit, brevi admodum levatur æger, *aph.* 74. *Sect.* 4.

Tumores articulorum, dolores ſine ulcere podagricos, convulſiones, horum quidem plurima aqua ſuper affuſa copioſe levat; doloremque mi-

nuit ac ſoluit ſtupor enim mediocris dolorem levat. *aph.* 25. *Sect.* 5.

Ad podagram.

Eunuchi neque podagra laborant,
neque calui fiunt. *aph.*68. *Sect.* 6. A

Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua deffecerint. aph. 29. ſect. 6.

Puer podagra non laborat, ante uſum Venereorum. aph. 30. ſect. 6.

Podagrici morbi intra quadraginta dies ſedati, inflammatione finiunt. aph. 49. ſect. 6.

Podagrici morbi vere & autumno, magna ex parte moventur. aph. 55. ſect. 6.

De ſudoribus.

Sudores febricitantibus boni tertio B
die, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimo primo, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo primo, & trigeſimo quarto; hi enim ſudores iudicant morbos: qui ſecus evenerint, laborem, longitudinem, & recidivam ſignificant. aph. 26. ſect. 4.

Sudores frigidi cum acuta febre, mortem; cum mitiori, longitudinem, ſignificant. aph. 37, ſect. 4.

Vbi ſudor, ibi morbus. aph. 38. ſect. 4.

Sudor multus, calidus, vel frigidus ſemper fluens, repletionem humorum ſignificat. aph. 61. ſect. 7.

Sudor in morbis ſemper fluens, calidus minorem, frigidus maiorem ſignificat morbum, quia ut exponit *Gal.* in comm. frigidi ſudores à crudis & frigidis ſuccis generantur, qui difficilè attenuari & diſſolui poſſunt. aph. 42. ſect. 4.

Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus uti plurimo cibo ſignificat, ſi verò cibum non aſſumenti accidat, evacuatione corpus indiget. aph. 41. ſect. 4.

Ad præſagium lethale.

A In febre non intermittente ſi labrum, aut os, aut ſupercilium, aut naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore; quidquid horum acciderit, mors in proximo eſt. aph. 49. ſect. 4.

PROGNO-

PROGNOSTICORVM.
Lib. I.

n. I. Nihil æque medico conducibile cenſeo, qnam ut prudentem ſe in omnibus gerat. Gal. in comm. providentem vertit. Repetit lib. 2. Prædictionum. n. 3. A

Medicus morituros, victuroſque præſentiens atque prænuntians, omnem prorſus calumniam evitabit. B

n. 2. Nares acutæ, oculi concavi, collapſa tempora, frigidæ contractæque aures, & imis partibus leviter verſæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, totius faciei color, aut niger, aut pallidus, aut liuens, aut plumbeus. C

n. 4. Stridor dentium in acutis phrænitidem portendit. Quod ſi deliranti accidat, vix æque perniciosam invenies notam. Quia ut exponit Gal. in comm. Stridor dentium ſit, quoties muſculi in temporibus & maxillis modo convulſionis moventur. D

A Quando in febribus acutis ægri ante faciem manus ſæpius ferunt, fruſta venantur, & feſtucas legunt, & de veſtibus floccos evellunt, & de pariete paleas detrahunt, lethale.

B n. 5. Sudores particulares in capite, pectore, collo, pravi: quod ſi ſint frigidi, peſſimi. Hi enim cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori, longitudinem ſignificant.

C Si oculi frequenter moveantur, furioſum ægrotum fore timor eſt. In convulſione epileptica interdum frequenter moventur.

Prognoſticorum. Lib. 2.

Aliqui ponunt loco. Lib. 2. h. 11.

D n. 11. Optima urina eſt, ſi ſedimentum album fuerit, leve, & æquale per omne tempus donec morbus iudicetur; ſecuritatem enim & morbum fore brevem denuntiat; quod ſi interdum pravam emittit, & crudam, interdum coctam; & ſubſideat album & leve,

ut longitudinem, ſic minorem ſecuritatem pollicetur.

Si Vrina fuerit ſubrubra, ac ſedimentum ſubrubrum & leve; diuturnior erit hic morbus, ſed admodum ſalutaris. *A*

Vrina quandiu fulva & tenuis fuerit, tandiu cruditatem & longitudinem ſignificat. Quod ſi talis perſeveret, ne æger ante concoctionem viribus deſtitutus ſuccumbat, periculoſum eſt. *B*

n. 12. Si homo omnes vomat colores, lethale eſt. Livida ſi graveolent, citiſſimam iudicant abolitionem. *C*

Omnis autem ſub putris ac fœtidus odor in omni vacuatione, malus. *D*

n. 13. In omnibus doloribus qui circa pulmones & coſtas fiunt, ſputum citò & facile expui convenit, & flavum ſpuro valde permixtum apparere. Repetit, Coacarum. n. 3. *E*

Omnia ſputa quæ dolorem non ſedant mala. Peſſima vero nigra. Quæ vero dolorem ſedant, omnium *F*

optima cenſentur. Repetit coacarum. n. 3.

A Omne ſputum non ſedans dolorem, malum; ſoluens autem, bonum. Repetit. Coacar. n. 3.

n. 14. Quicumque dolores pe-
B ctoris, vel lateris non ſedantur ad ſputorum purgationes, neque ad ſtercorum alui ſubductionem, neque ad venæ ſectionem, & victus rationem ac medicamenta, eos ad ſuppurationem verti ſciendum eſt. Repetit lib. Coac. n. 3.

n. 16. Suppuratos cognoſces, ſi
C febris non dimittit, interdiu levior eſt, noctu increſcit, multus ſudor oritur, tuſſiendi cupiditas eſt, ſed nihil penè excreatur. Oculi cavantur, malæ rubent, ungues in manibus curuantur, digiti ſummi calent, pedes tument, cibi faſtidium eſt; puſtulæ toto corpore naſcuntur, ſputum purulentum injectum carbonibus male olet, & in aquam ſalſam fundum petit: quod quidem dum excreatur, linguam inficit; & per continuitatem

tunicæ internæ ventriculi cum tunica externa linguæ, intemperie linguæ ori ventriculi cõmunicatur, & ideò cibi faſtidium fit ferè continuum. Hæc latè probat Sennertus capite de ſuppuratis, ex eo quod omnes hoc morbo detenti, habeant inappetentiam Repetit Coacar. *n.* 3. firmat Galen. comm. *aph.* 32. *Sect.* 6.

n. 17. Suppurati ſalvantur, ſi æger bene ſuſtinet morbum; ſi facile ſpirat, facile ſcreat, ſi corpus æqualiter molle & calidum ſit, non ſitiat, alui ſedimina, & ſomni, & ſudores probè reſpondeant; ſi quo die eruptio fit, febris conquieſcat; appetitus incipiat, pus album leve, ſine pituita, & ſine dolore excreetur. *A*

Suppurati moriuntur, ſi intolerabilis eſt morbus, reſpiratio magna & frequens, dolor non mitigatur, vix ſputum redditur, & ſpumantem pituitam ſcreat, ſi ſitiat, febris inæqualiter corpus afficiat, & per intervalla exacerbetur: ſi venter & latera vehementer calent ma- *B*

nibus & pedibus frigore affectis; cibi faſtidium augetur; pus lividum, aut pallidum, aut viride ſit; venter liquidus, urina, ſomni, & ſudores male reſpondeant.

A Quod ſi prava aliqua ſigna ægroto appareant, & aliqua bona; ex ſupradictis, alij moriuntur, alij longo temporis ſpatio ſanitatem recuperant.

Prognoſticorum. Lib. 3.

Aliqui ponunt loco. Lib. 3. n. 21.

B n. 21. Poſt partum ſi mulier febricitaverit, judicationes fiunt à partu, quovis die pepererit. *Galenus in comment.* ait. Dies morbi à partu non à die invaſionis computandus eſt; quandoquidem in partu omnes humores æque agitantur, atque in vehementi febre. Et ideo morborum judicia & cryſes à partu numeranda ſunt, non à die à qua æger cepit febrire.

Prædictionum ſeu prorhet
Lib. I.

n. 5. Quæ contingunt impotentiæ & infirmitates ſine vaſorum vacuatione, malæ: Nam ſi virtus ſine manifeſta evacuatione imbecilla fuerit, gravantem oſtendit copiam, vel unius principiorum intemperiem.

n. 6. Ex moderato ferox reſponſio, malum. Repet. Coacar. n. 1.

n. 7. Quæcumque in diebus judicatoriis cum anxietudine, & abſque ſudore perfrigerantur, malum. Et quæ ex his inſuper riguerunt, mala ſunt.

n. 8. Perfrigerationes ex rigore non recaleſcentes, malæ.

n. 10. Qui anxiè ſe jactantes citra vomitum exacerbantur, male habent.

n. 17. Convulſiones ab utero affecto ſine febre faciles ſunt. Repetit Coacar. lib. n. 3.

n. 24. In capitis dolore ſopor & ſurditas, circa aurem abſceſſum

aliquem eructant. Repetit lib. Coacar.

Prædictionum ſeu prorhet lib. 2.

A n. 3. Conſulo ut medicus tum in reliqua arte, tum in prædictionibus quam prudentiſſime agat, illius probè memor, quod ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrum intelligentia præditum in admiratione fuerit; ſi verò aberrarit, ſupra hoc quod odio habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur. Quapropter Iubeo, ut tum alias omnes, tum has prædictiones prudenter agat. Repetit lib. 1. Progn. n. 1. Nihil æque medico conducibile cenſeo, &c.

B n. 23. febrem in capitis vulnere incipere quarta die, aut ſeptima, aut vndecima, lethale.

C In principiis febrium ſive delirium acceſſerit, ſive alicujus membri ſideratio, periturum hominem ſignificat: ſi non omnino ex optimis ſignis aliquod accedat; aut corporis vires adſint.

n. 29. Recidivas expectare oportet, his quibus melius habere contingit, neque diebus judicatoriis, neque cum ſignis coctionis. Repetit lib. de Iudicationibus. n. 9. A

Coacarum. lib. n. I

n. I. Moleſtè ferre morbum, malum: cum perſrigeratione, peſſimum. B

Qui frequenter exudant, & inſuper rigent, perniciosè habent: & in fine ſuppurationem habere comperiuntur. C

Tabis ſigna ſunt in morbis pectori, horror, levis ſudor, & ſpirandi difficultas. D

Ex moderato ferox reſponſio, malum. E

Qui præter rationem nulla exiſtente vacuatione imbecilli fiunt, malum. Repetit lib. I. Prædictionum. n. 5.

Delirium in ſpiritu, & ſudore, lethale eſt, ita & in ſingultu. Vid. poſt. F

Somni profundi non turbulenti firmam judicationem ſignificant. G

Turbulenti verò cum dolore corporis, inconſtantes ſunt.

A Vlcus ante mortem ſi periturus eſt homo, liuidum ac ſiccum erit; vel pallidum ac ſiccum.

n. 2. Capitis dolor pertinax, cum *B* febre acuta, & alio ſigno maligno, lethale.

C Linguæ aſperæ & reſiccatæ. phræneticæ ſunt, lingua vero tremula delirium portendit.

D Lingua denigrata in alvo liquida, celerem mortem ſignificat.

E In febribus repente ſuffocari, & deglutire non poſſe citra tumorem, malum eſt.

F Collum in febribus convertere non poſſe, neque deglutire, ut plurimum lethale.

G Dolor ſupra umbilicum, & lumborum dolor, ſi medicamentis non ſoluatur; in hydropem ſiccum, degenerat.

H n. 3. Lumborum dolor ſine cauſa manifeſta ſæpe impetens, maligni morbi judicium eſt.

I Anginæ quæ neque in collo, neque in faucibus quicquam conſpi-

cuum faciunt, ſed ſuffocationem vehementem & ſpirandi difficultatem inducunt, eadem die & tertia occidunt; quæ uerò tumores & rubores in collo accipiunt, diuturniores, & ſanabiliores ſunt, ſi non ad interiora recurrerint.

Pleuritides ſiccæ, ac ſine ſputo difficillimæ ſunt. *A*

Qui in peripneumoniis ſiccis pauca concocta educunt, horrenda res eſt. *B*

Quibus pleuriticis in principio lingua biliosa fit, hi ſeptima die judicantur; quibus autem tertia aut quarta die, circa nonam. *C*

Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, facies triſtis, & oculus morbi regij colore infectus ac caliginoſus, hi pereunt. *D*

Sputum in omnibus pleuriticis, ac peripneumonicis, facilè ac citò expui convenit, & flavum ſputo commixtum eſſe. Quod verò longe poſt dolorem educitur flavum & non nixtum, & multam tuſſim inducit; malum eſt. Repetit Progn. n. 13. vide poſt. *E*

A Omne ſputum non ſoluens dolorem, malum. Soluens autem, bonum, Repet. Progn, n. 13.

B Quicumque dolores pectoris non ſedantur per ſputa, neque per venæ ſectionem, neque per medicamenta, & victus rationem, ſuppurantur. Repet. Progn. n. 13.

C Qui ſnppurati fiunt, eos calores comitantur interdiu leviores, noctu vehementiores, nihil memoratu dignum ſpuunt, circa collum ac claviculam ſudant;oculi cavi fiunt, malæ rubent, digiti ſummi calent & aſperantur; Vngues curvantur, perfrigerantur, pedes tument, & cibi faſtidium eſt.

D Sequuntur ſigna eorum qui ſervari debent,& qui perire.Vt etiam refert Progn. lib. 2. n. 16.

E Suppuratos ſecabis in eo latere quod tumuerit, aut magis doluerit in parte infima. Secato autem inter coſtas per novaculam primò cutem, deinde ſcalpello acuto quod panniculis ſit alligatum; ita ut ſumma ipſius pars ad unguis magni digiti menſuram expedita re-

ſtet, quam intromittat,

Qui ſuppurati futuri ſunt, primum ſalſuginoſum ſpuunt, deinde dulcius. *A*

Horrore affecti plerumque ad ſuppurationem deveniunt. Firmat Gal. lib. 1. de loc. affect. *B*

Suppuratis per alvum pus ſecedere, lethale eſt. *C*

Quibus ſtrepitus ſputi nullus fit, verum difficultas ſpirandi fortis, & ungues liuidi, hi pleni ſunt pure, pernicioſè habent. *D*

Quibus tabidis in mare, ſeu aquam ſalſam ſpuentibus, pus ad fundum ſidit, brevi pereunt. Sit autem mare in æneo vaſe. *E*

Quibus tabidis alui proffluvium accidit, & capilli deffluunt, lethale. *F*

Tabes periculoſiſſimæ ſunt à ruptione venarum craſſarum, & deffluxu ex capite. *G*

In omnibus morbis præcordia in tumorem elevata peſſima ſunt; maximè in tabidis. *H*

Hydrops qui ad curationem remiſit, recurrens deſperatus eſt. *I*

A Dyſſenteria non longa ſplenicis commoda, longa vero mala. Deſinente vero ſi hydropes aut inteſtinorum levitates fiant, lethale eſt. n. 4.

B n. 4. Vrinam bonam habens ſubſidentiam, & repente non habens, dolorem & mutationem ſignificat, quod etiam firmat *aph.* 33. *ſect.* 7. Vrinæ, inquit, diverſæ vehementem turbationem ſignificant.

C *De Capitis Vulneribus.*

n. 15. Neceſſe eſt carnes contuſas, & conciſas pus fieri, poſtea novam carnem produci. Repetit lib. de Vlceribus. n. 3.

D n. 18. Vlcus in capite nullo humore humectare convenit, ac ne vino quidem; neque cataplaſmate integere, neque linimento curationem facere, neque comprimere ulcus oportet, in capite ſi non in fronte fuerit; aut circa ſupercilium, aut oculum.

E n. 29. Si cranium volueris perforare, frequenter terebellum eximere oportet; ac in frigidam a-

quam demergere ; Et exempto ſæpe terebello parum obtuſo, ſpeculari ſæpius per ſpecillum circumquaque, ita ut frequenter conſideres, & commoveas os.

De Fracturis.

n. 1. Fracturarum & luxationum extenſiones quam directiſſimè ſunt faciendæ. A

De Vlceribus.

h. 1. Vlcera univerſa niſi vino humectare non oportet ; Idem firmat Galenus lib. 3. Meth. Vinum, inquit, omnis ulceris qua ulcus eſt, optimum medicamen exiſtit. B

Vlcera univerſa niſi vino humectare non oportet ; modo in articulo non fuerit ulcus : nam ſiccum ſano propius eſt, & humidum morbido, ideo enim ſiccitas humiditate ſalubrior, quia difficile paſſibilis, & corruptibilis eſt : humiditas vero, & facilè patitur, & corrumpitur. Hanc ob cauſam lib. 3. aph. aſſerit, ſiccitates eſſe imbribus ſalubriores. C

n. 2. Neceſſum eſt carnes con- D

tuſas, & conciſas pus fieri, poſtea novam carnem produci. Repetit de capit. Vulnerib. n. 15.

Epiſtolarum lib. ad Dyoniſium.

A Tu verò ô Dyoniſi ſtudio habe, ut ipſe accedas, inhabitabis autem meam domum nimis quam opportunam; Nimirum cum & uxor apud parentes maneat propter meam profectionem; Attamen & illius res inſpectat; quo pudicè degat; & ne ob viri abſentiam alios viros approbet. Opus enim habet mulier moderatore, habetque à natura in ſe laſciviam, quæ niſi quotidie reſecetur velut arbores, in materiæ multæ effuſionem extuberat. Ego verò amicum ad uxorem cuſtodiendam diligentiorem puto ipſis parentibus.

Epiſtola Ad Democritum.

n. 31. Artis Medicæ recta facta, B ô Democrite, plerique è vulgo hominum non omnino laudant, verum diis ſæpe attribunt. Quod ſi natura reluctata perdiderit eum qui

curatur, medicos reprehendunt numen prætereuntes, & ego ſanè mihi videor, plus in arte medica reprehenſionis quam honoris aſſecutus eſſe; ego enim ad finem medicinæ non perveni etiamſi iam ſenex ſim; neque ipſius inventor Æſculapius, ſed & ipſe in multis à ſe ipſo diſſenſit, quemadmodum ſcriptores multi tradiderunt.

De Veratri uſu libellus.

n. 33. Quicumque partes inflammatas ab initio aggrediuntur purgatione ſolvere; hi non modo quidquam de parte inflammata adimunt, neque enim cedit cruda adhuc paſſio, ſed majorem etiam reddunt affectum. &c.. Hanc citat Gal. Sentent. lib. Pr. de Cryſib. & lib. 4. acut. intellige de forti purgatione, non de levi. Repetit de Vict. ratione in acutis. n. 36. A

De hominis ſtructura.

n. 3. Lethargus eſt cerebri paſſio, fit, cum cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit. Et ca- B

lefacientibus cerebro opitulari expedit.

A n. 2. Coac. In morbis longis ſurditas & ſopor, dolorem capitis ſubſequentes parotides prænuntiant, & hæ non ſuppurantes, plerumque lethales.

SENTENTIÆ

GALENI CELEBRIORES.

Ex ominibus ferè ipſius libris Deprompta.

LIBER. II.

QVONIAM Interpretes, & commentatores Galeni Variis terminis, Diverſis locis, & prolixioribus libris eius ſententias adſcripſerunt: Vt Lector citius, & facilius adinueniat, nonnullas ex libris de loc. Affect. Guillielmo Copo Baſilienſi interprete

Ex comm. Gal. in Aph. Hyppoc. Guillelmo plantio interp. Ex comm. Gal. in Progn. Hypp. Ioanne Gorræo Pariſienſi: Cęteras ex comm. Epitome Andreæ Lacunę Secobienſis fideliter collectas Declaravi.

LIBRI GALENI
E QVIBVS EDVCTÆ SVNT SENTENTIÆ.

Exhort. ad bon. art. diſcend.
De Optimo docendi genere.
Quod opt. medic. ſit philoſophus.
De *Sectis ad eos qui introducuntur.*
De *Optim. ſect. ad Thraſibul.*
De *Conſtit. art. medic.*
De *Partibus artis medicæ.*
De *Elementis, lib. 2.*
De *Temperamentis, lib. 3.*
De *Inæquali intemperie.*
De *Optima corporis conſtitutione.*
De *Optimo corpor. habitu.*
De *Anim. mor. & corp. temper. conſt.*
De *Naturalibus facultatibus. lib. 3.*
De *Naturalib. facultat. ſubſtantia.*
De *Motu Muſculorum. lib. 2.*
De *Vteri diſſectione.*

De Placit. Hyppocr. & Platon. lib. 6.

De Semine , lib. 2.

De Fœtuum formatione.

De Septimeſtri partu.

De Inſtrumento Olfactus.

De Oſſibus ad Tyrones.

De Nervorum diſſectione.

De Anath. adminiſtrationibus, lib. 9.

De Vſu partium , lib 17.

Ad Thraſibulum.

De Exercit. parvæ pilæ.

De Aliment. facultat. lib. 3.

De Euchymia & Cacochymia.

De Attenuant. Victus ratione.

De Cognoſc. curand. anim. affectib.

De Conſuetudine.

De Sanitat. Tuenda. lib. 6.

De Vſu reſpirationis.

De Cauſis reſpirationis.

De Difficult. reſpirationis. lib. 3.

De Vſu pulſuum.

De Introductione in pulſus.

De Differentiis pulſuum. lib. 4.

De Dignoſcend. pulſibus. lib. 4.

De Cauſis pulſuum. lib. 4.

De Præcognitione ex pulſib. lib. 4.

De Diebus decretoriis. lib. 3.

De *Cryſibus. lib.* 3.
De *Præcognitione.*
De *Præſagiis ex inſomniis.*
Quomodo Morb. ſimul. ſint arguendi.
De *Differentiis morborum.*
De *Cauſis morborum.*
De *Sympthomat. differentiis.*
De *Symptomatum cauſis. lib.* 3.
De *Cauſis procatarcticis.*
De *Plenitudine.*
De *Atra bile.*
De *Tumoribus præter naturam.*
De *Trem. palp. convul. & rigore.*
De *Temporibus morborum.*
De *Totius morbi temporibus.*
De *Locis Affectis. lib.* 6.
De *Differentiis febrium. lib.* 2.
De *Maraſmo, ſeu tabe.*
Contra eos qui de typis ſcripſerunt.
De *Typis.*
De *Arte Medicinali.*
De *Meth. Medendi. lib.* 14.
De *Arte curat. ad Glaucon. lib.* 2.
De *Vena ſection. contr. Eraſiſtrat.*
De *Vena ſect. contr. Eraſiſt. Rom. degent.*
De *Curand. ratione per ſang. miſſ.*
De *Hyrud. revuls. cucurb. ſcariff.*

De *Purgant. medicam. facult.*
Quos & quando purgar. oport.
De *Puero Epileptico.*
De *Ptiſana.*
De *Simplic. medicam. facult. lib.* 11.
De *Subſtitutis.*
De *Compoſ. medicam. ſecund. gen. lib.* 8.
De *Compoſ. medic. ſecund. loca. lib.* 10.
De *Theriaca ad piſonem.*
De *Antidotis.*
De *Ponderibus & menſuris.*
Comment. acutorum.
Comment. de humoribus.
Comm. Aphor. Hyppocrat.
Comment. Progn. Hyppocrat.

DE CONST.

DE CONSTITVT. ART. Medicæ.

MEdicus his duobus morbo & naturæ veluti colluctantibus ſemper mentem intēdit, ac dum diſcernit, quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſuum de ſalute hominis vel interitu præſagium depromit: deinde verò quo altero alterum fortius eſſe nouit, eo & illius præfinitum tempus agnoſcit; vt enim celerrimè morbus ſoluendus eſt ſi vires ſint validiores; ſic citò mors aduentabit, ſi hæ imbecillæ fuerint, morbus autem vehemens. A

Naturæ robur ex propriis actionibus deprehendes, maximè verò ex pulſu; ſiquidem is facultatis Vitalis eſt opus; morbi verò magnitudinem cognoſces ex ſuis ſympthomatis. At quatenus alterum altero præualet, concoctio, crudi- B

taſque indicabit, quas ſubinde ex propriis recrementis cognoſces; quæ enim in ventriculo concoctiones fiunt, deiectiones demonſtrant; quæ in Venis, Vrinæ; quæ in toto corpore, ſudores. Quibus omnibus commune eſt, morbum nunquam ſolui poſſe, niſi prius in excrementis concoctionis ſigna cernantur: Nam vt concoctiones omnes celerem cryſim ſalutiſque ſecuritatem indicant, ſic cruda & quæ in paruos vertuntur abſceſſus, vel nullam cryſim, vel labores, vel mortes, vel tempus prolixum, vel recidiuas declarant. Idem firmat *comm.* 12. *aph. lib.* 1.

A Si omnes pariter humores accreuerint præcipua ipſorum vacuatio erit per lectam venam, deinde per exercitſa, per frictiones, per balnea, per inediam; nec alia etiam fuerit vacuandi ratio, cum ſolus ſanguis exceſſerit.

B Vbi autem flauæ, vel atræ bilis ſuccus continetur in primis viis, vel etiam ſeroſus humor, purgandi tales humores ſunt iis quæ al-

uum commoueant ; ſi in aliis tenuia & aquoſa excrementa fuerint, per vrinas ; ſi biliosa, per purgatoria ; poſſunt tamen & tenuia etiam alui deiectione purgari : ſed quæ totum corporis habitum occupant, ſi tenuia fuerint, aut ſudore, aut medicamentis, quæ cuti applicita vim exſiccandi habent ; cum verò biliosa, primum quidem purgatione egent, mox euacuatione per cutim.

De Elementis. lib. 1.

Elementum eſt minima rei quam conſtituit portio. Ex Ariſtotele Elementum eſt corpus ſimplex, ex quo omnia fiunt, & in quod omnia reſolvuntur. A

De Elementis, lib. 2.

Vt calidum, frigidum, humidum, atque ſiccum omnium rerum communia ſunt elementa, ſic ſanguis, pituita, ac bilis, tum atra, tum flaua, omnium animalium ſanguine præditorum, propria elementa exiſtunt. B

Naturalis quædam vis rei unicuique ineſt, ea quæ conueniunt ſibi C

trahendi; ſicut in magnete vis eſt attrahendi ferrum; atque per hanc facultatem tum nutritiones, tum vacuationes fiunt; ipſa quidem ſemper id quod expediens eſt attrahente, illa verò expellente.

De *Temperamentis*, *lib.* 1.

A Conſtare animalium corpora, ex calidi, humidi, frigidi & ſicci mixtura, neque eſſe horum omnium parem in temperatura portionem demonſtratum abunde eſt,

B Vt à frigido & ſicco omnia incorrupta ſeruantur, ſic à calido & humido facillimè computreſcunt.

De *Temperamentis*, *lib.* 2.

C Ipſa hominis temperatiſſimi cutis, ac præcipuè quæ in manu eſt, omnium extremorum eſt media; fuitque ſic temperata à natura, quod ſenſibilium omnium eſſet veluti norma, tactuſque inſtrumentum futura.

D Qui anguſtas poſſident venas,

exigui ſunt ſanguinis, nec longam inediam ferunt Quibus autem ſunt latæ, iis copia ſanguinis ineſt, & citra noxam cibo abſtinent.

De Temperamentis, lib. 3.

Quatuor ſunt facultates naturales, attractrix, retentrix, alteratrix, & expultrix. Quæ effectus ſunt totius in corpore ſubſtantiæ, quam conſtare diximus ex calido, frigido, humido, & ſicco inter ſe mixtis. *A*

Quemadmodum ſi exiguæ & imbecillæ flammæ confertim multum olei infundatur, illam prorſus extinguet; ſic vinum ubi plus bibitur quam vt vinci poſſit, tantum abeſt, vt animal calefaciat; vt etiam apoplexias, comata, caros, neruorum reſolutiones, conuulſiones, & tetanos, qui affectus ſunt frigidi inducat. *B*

Corpus ſemper augetur, quouſque oſſa confirmentur. *C*

Quibus in ventre bilioſum excrementum gignitur, id porri vi- *D*

rorem præfert; debetque in iis ci-
bus fuiſſe tum iuſto calidior, tum
cacochymus. Comm. verò progn.
2. cap. de vomitu porraceo, ait,
porracea bilis ſæpe in ventre fit,
ob cruditatem aliquorum ciborum
& olerum; qualia ſunt; betæ, ce-
pæ, atque braſſicæ; interdum nullo
eiuſmodi cibo aſſumpto per morbos
gignitur in venis, oſtendens pro-
cul dubio calorem præter naturam
in corpore adeſſe.

A In myſia domum integram con-
flagraſſe conſtat, ex ſolo ſtercore co-
lumbarum, quod ab ardenti ſole
inflammatum, feneſtræ proximæ
ſuum communicauit incendium.
Qua ratione aiunt Archymedem
hoſtium triremes ſpeculis vrentibus
incendiſſe.

De *optim. corp. conſtitutione.*

B Cum ipſæ particulæ functionem
ſecundum naturam prompte ob-
eunt, ſanitas eſt; vbi verò cum
quodam robore præſtant, bonus
habitus dicitur.

Proba actio à probo tempera- A
mento fit, vt praua, à prauo; & ſicut corpus aliud magis, aliud minus album cernitur; ita magis & minus temperatum, & conſequenter ſanum. Idem ſuadet Gal. de ſanitate tuenda lib. 1. & 3. de ſymptomat. cauſis; & 4. de præſag. ex pulſibus.

Omnis, inquit, intemperies B
deſtruit actum potentiæ; vnde intemperies calida, frigida &c. ſi inſignis ſit, actiones naturales, uitales, & animales deſtruit: ſi mediocris, deprauat & imminuit; firmat ratio: Nam quod deprauat temperamentum, deprauat & actionem: atqui intemperies deprauat temperamentum, ergo & actionem. Imo & ipſum organum. Quod ſi dicta intemperies diutius perſeueret & augeatur, ipſam partem penitus ſuffocat, quod in parte gangrænata videre eſt: in qua intemperies calida inſignis, non modo actionem vitiat: ſed etiam partem ipſam interdum ſuffocat. *vid.* 114. *cap.*

De *Natural. facult. lib.* 1.

A Nutritio ad id quod nutritur eius quod nutrit aſſimilatio eſt : quam neceſſario præcedit agglutinatio, ſicut & hanc appoſitio. Poſtquam autem is ſuccus, qui omnem animalis particulam nutriturus eſt evaſis excidit, primum in eam diſpergitur, mox adiungitur: dein agglutinatur, ac demum aſſimilatur.

De *Naturalib. facult. lib.* 2.

B In vniuerſum corporibus calidis quacumque ex occaſione ſint calida, mel, atque dulcia omnia generandæ bili anſam præbent : iis autem qui contrarij ſunt habitus, ſanguini.

C Prima Generandi hydropis cauſa ex ſanguificationis deffectu procedit.

D Ex ciborum concoctionis deffectu prouenit diarrhæa.

De *Natural. facult. lib.* 3.

Fluxio non fit proprio motu humoris, alioqui omnis fluxio ad inferiora fieret: ſed vel à parte mittente propellitur, vel ab imbecilla attrahente recipitur. *Repetit de cauſ. morb.* A

Iam vero prægnantes primis diebus, potiſſimumque eo ipſo quo ſemen eſt conceptum, moueri, atque in ſe ipſum concurrere vterum ſentiunt, quod ſi prȩter hæc citra affectum aliquem conniueat os vteri, iam ſemen ipſum à mare & ſe cæpiſſe, & retinere arbitrantur. Quo tempore adeò clauditur vterus vſque ad horam partus, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittat. B

Venter ſi melius, paratiuſque nutrimentum habet, externum non poſtulat: ſin aliquando poſtulat neque eius copia datur, excrementis bilioſis, pituitoſis. atque ſeroſis impletur, quæ vtique trahenti iecur illi remittit: ſiquidem vt par- C

ticulæ altera ab altera nutrimentum trahunt, ſic altera in alteram quod ſuperuacuum eſt à ſe pellit: eſtque hæc vocatarum fluxionum cauſa.

De *inæquali intemperie.*

A Scorpium necaueris ſi illi ieiunus inſpuas. R*epetit. lib. de Euchymia & cacochymia.*

B Augetur quidquid, ac nutritur ſimilibus: perimitur ac corrumpitur diſſimilibus. Quocirca ſanitatis tutela per ſimilia perficitur: morborum ſublatio per contraria.

De *anim. mor. & corp. temp. conſ.*

C Corporis temperamenta varia non modo animæ actiones variant, ſed etiam à corpore interdum ipſam ſeiungere poſſunt. Cum extremè frigida, calidaque medicamenta hominem perimere cernamus, quippe demorſos ab aſpide, illico exanimari cernimus perinde ac ſi cicutam biberent, vt pote ipſius ve-

neno etiam refrigerante. *Vid.* 3. 6.

Animæ ſubſtantia, calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperamentum eſt. A

Id equidem nouimus ſanguinis miſſione æque ac cicutæ potu corpus frigeſcere. B

De plac. hyppoc. & plat. lib. 2.

Contigit in ſacrificiis animantia cerni, quæ corde iam aris impoſito, non reſpirare tantum aut clamare fortiter, ſed etiam fugere potuerunt quouſque perfuſione ſanguinis mortua ſunt. C

De placit. hyppoc. & plat. lib. 6.

Eſt itaque tum venarum, tum ſanguinis, tum nutrientis facultatis principium hepar: quod viſcus per vniuerſas corporis partes benignum alimentum diſtribuit; quod autem ſanguis perficiatur in hepate, argumento ſunt excrementorum purgatoria inſtrumenta quæ natura illi fabricata eſt, renes D

videlicet, lien, ac receptrix bilis veſica. At in corde nullum purgans inſtrumentum natura fecit: neque alium machinata eſt humorem,

De ſemine, lib. 1.

A Eſt autem ſemen vitali ſpiritũ plenum.

B Carnoſa ex ſanguine condita facile regenerantur; membranoſa ex ſemine facta regigni nequaquam poſſunt; ſolidæ ergò corporis partes ex ſemine generantur, atque nutriuntur

De ſemine, lib. 2.

C Omnia animalia ex ſemine & ſanguine menſtruo generantur.

D Fœmina humidior atque frigidior eſt, calidior autem & ſiccior maſculus, ob idque tempore breuiori quam illa formari traditur.

De Euchymia & cacochymia.

E Nihil in cibaris omnibus ad

boni ſucci generationem tam pertinet, quàm ſi probè in ventriculo concoquantur.

A Cuiuſlibet generis mel calefaciendi vires ſortitur, ſumptumque à calidis corporibus facile in bilem vertitur, idcirco pituitoſis admodum naturis, ætateque & ſenio confectis vtiliter datur; frigidis quoque naturis accommodatiſſimum eſt.

B Ea cruditas deterior eſt aliis, quam vitioſi ſucci cibaria effecerunt, quæ quidem ſi tenuem ſuccum reddant, acutos morbos cum maleficis febribus inuehunt, ſuccorumque vitio in vnam tantummodo partem decumbente, Eryſipelata, herpetes, aliæque affectiones calidæ gignuntur; ſi verò craſſum ſuccum efficiant, articulorum & renum vitia, podagræ, anhelationes, lienis, iecinoriſque ſchyrroſi affectus gignuntur: At quibus malus corporis humor melancholicus fuerit, affectus melancholici orientur; ſed ex humoribus mixtis mixtæ affectiones proueniunt.

De Attenuante victus ratione.

A Si quid olfactui, guſtui, aut vtrique ſimul, acre, mordicans, & calidum appareat: ſcito id habere facultatem attenuandi & incidendi; incidendi autem facultas aceto & melle intenditur, oleo verò minuitur.

De cogn. curand. anim. affectib.

B Is ſolus qui ſapientiſſimus eſt, perfectè ſe ipſum cognoſcere poterit, nam.

C Duplicem manticam, vt Æſopus ille aiebat, è collo ſuſpenſam gerimus, vnam quidem ante pectus alienorum: alteram verò à tergo noſtrorum criminum plenam. Aliena quidem ſpectamus ſemper, noſtra verò cernere nuſquam poſſumus; etenim quidquid amat cæcum eſt erga rem quam amat, ergo, cum ſe ipſum quiuis omnium maximè diligat, erga ſe ipſum maximè cæcutiat, eſt neceſſarium.

D Si videas ab aliquo frequentari

ædes magnatum ac principum, non exiſtimes illum eſſe veridicum, obſequia quippe iſtiuſmodi, mendacium ſequi conſueuit. Quod ſi id genus hominum ſalutantem, ſiue illis ſe comitem exhibentem, conuiuiiſve illorum ac cænis ingerentem conſpicias, non ſolum non veracem ſed omnis etiam nequitiæ alumnum talem eſſe ne dubites, quippe qui aut pecuniarum aut principatus, aut gloriæ, aut honoris cupiditate trahatur.

Cum autem nullus ſine peccatis viuat, vel ſi quis optima natura ſit præditus: ſed neceſſum eſt vnumquemque labi & errare, eoque magis quo iunior quiſpiam fuerit; haud dubiè vnuſquiſque noſtrum exercitatione per totam indiget vitam, vt vir perfectus reddatur. A

Turpe enim eſt quemquam multos annos continenter laborare, vt vel medicus, vel cauſidicus fiat, vt autem in virum bonum euadat in tanto curriculo temporis, nihil ſibi quidquam laboris aſſumere. B

De inuidia quid attinet dicere, C

cum omnium ſit vitiorum fœdiſſimum. Eſt autem inuidia dolor ex alienis bonis conceptus.

A Exploratum habemus inſatiabilitatem vitium eſſe animi peſſimum, fundamentumque omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, principatus, & contentionis; econtra qui ſua ſorte contentus erit, omni mœrore, ac triſtitia carebit.

B Qui adoleſcentes aſſueuerunt vitio aliquo indulgere, fieri non poteſt vt cum ad annum peruenerint quadrageſimum, ſe ipſos recuperent.

C Nico pater Galeni vt filio moderationem animi ſuaderet in acquirendis diuitiis; comparabat inſatiabilem habendi libidinem voracitati ventriculi, etenim, inquit, cibo egenus vt nutriatur corpus, nutritur, ſi cibus concoctus fuerit; concoquitur, ſi modicus; nam ſiſit immodicus aut deiectus per inferiora, fluxum ventris excitabit, aut diſtributus per corpus malum habitum efficiet, quod de corpore dictum eſt, ad animum transferre licet,

cuius inexhauſta cupiditas plura expetit quam vſus poſtulat : Diuitias enim expetimus, vt vtamur; vtimur, ſi modicæ ſint, nam ſi immodicæ, abutimur.

De Conſuetudine.

Arius peripateticus natura gracilis, cum os ventriculi frigidiſſimum ſortiretur, itaut vel ex leuiſſima reffrigeratione ſingultu ſtatim corriperetur, ob idque non fuiſſet vnquam auſus aquam guſtare; tandem febre occupatus à mediciſque coactus præter conſuetudinem potu frigidæ vti, vbi hauſiſſet, ſubito palpitatione correptus concidit, & mortuus eſt. *A*

De Alimentorum facult. lib. 2.

Ex caricarum eſu, pediculorum multitudo prouenit. *B*

De Alimentorum facultat. lib. 3.

Suilla carne non aliud inuenias, *C*

quod copioſi oris ſit alimenti.

A Vbi ſuccorum craſſities cum ardenti calore iungitur, illic calculi generantur.

B Lac caſeoſum promptius calculum generat, tamen de ſanitat. tuend. lib. 6. Lac aſininum calculoſis maximè extenuatis concedit, quia omnium tenuiſſimum & ſeroſiſſimum eſt. Idem quoque Ætius ægris maxime extenuatis concedit.

De Sanitate Tuenda lib. 1.

C Sanguis ſemenque genitale generationis noſtræ primordia ſunt; ille ſeu materies quædam apta, hoc opificis rationem obtinens; cæterum in ſemine plus eſt igneæ aëreæque, ſubſtantiæ quamquam præpollet in hoc calidum frigido, & humidum ſicco.

D Vt ſanitas eſt naturalis affectio actione perficiens, ſic morbus affectio præter naturam impediens actionem.

E A venere abſtinendam eſſe quæcumque lac præbebit moneo; nam & menſes viri conſuetudine prouo-

cantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat, quin etiam aliquæ concipiunt, quo alienius à puello lactante nihil eſt; cum quidquid ſanguinis bonum eſt, abſumatur in fætum. Quare vbi mater concepit, aut aliquo morbo eſt correpta, alia nutrix inuenienda eſt cuius lac guſtu, odoratu, viſuque explorandum eſt. Siquidem

Quod lac optimum eſt, id æquabile guſtanti, olfacienti ſuaue, intuenti candidum; ac medium liquidi craſſique apparebit: Quod vitioſum eſt è diuerſo; aut craſſum, aut caſeoſum, aut liuidum; tum conſiſtentia, coloreque inæquale videtur. Item guſtanti amarorem, aut ſalſedinem, aut qualitatem quampiam extraneam exhibebit. Tale verò nec olfacienti ſuaue erit, atque hæc ſunt lactis probi, improbique indicia. *A*

Omne animans ab ipſo ſtatim ortu, ſiccius in dies efficitur. *B*

De Sanitate tuenda lib. 3.

Obſtructio ex lentis, craſſiſque *C*

excrementis oritur; denſitas verò tum ab his quæ aſtringunt, tum quæ reſfrigerant.

A Si plures affectus in vnum coeant, vrgentiori eſt ſuccurendum, aliis tamen non neglectis.

De Sanitate tuenda lib. 4.

B Si vires imbecilliores miſſionem ſanguinis dehortantur; tunc ſanguis mittendus non eſt, ſed deiectio mediocris adhibenda. At conſtante virium robore, ſi laſſitudo infeſtet, ac vitioſus humor qui ipſam gignit cum ſanguinis copia ſit, vena tundenda eſt: quod ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus autem ſuccus plurimus, vtique in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt; ſin is quidem exiguus, ſanguinis autem copioſus, audacter incidenda vena eſt, dein aluum deiicere oportet, ratione habita de abundantis ſucci copia & ſpecie.

C Idem ſuadet comm. lib. 6. epidem. quando, inquit, adeſt æqua neceſſitas & purgationis, & miſſio-

nis ſanguinis, ſemper venæ ſectio præferenda eſt.

Quod ſi quis detrahi ſibi nolit ſanguinem, huic aluus eſt largius deiicienda. A

Frigidi ſucci ſopores, & longiores ſomnos inducunt, calidi vero & mordaces, vigilias. B

Vt largior nutritio nocet, ſic abſtinentia omnimoda nauſeam inducit, ventriculum lædit, vires reſoluit, ac prauum ſuccum accumulat. C

De Sanitate tuenda lib. 5.

Cum ſenum omne corpus ſit frigidum, nec potens alimentum attrahere, probè conficere, ex eoque nutriri; plurimum frictione pingui adhibita poſt ſomnum matutinum iuuatur; quippe quæ vitale robur excitet, ac modice calefaciat, efficiatque vt ſit diſtributio alimenti facilior, nutritioque promptior. D

Quaremultos laborantes atrophia eiuſmodi frictione pingui adhibi- E

tâ facilè paucis diebus carne impleuimus.

A Qui affectum exactè norit, facile adinueniet remedia, cum contraria contrarijs auxilio ſint. malè itaque affecto corpori, ſemper contraria, optimè ſe habenti Viribus, ſimilia exhibeantur. Quin etiam Intemperies ipſas, quæ intra ſanitatis fines conſiſtunt, ſi corrigere ſtudebis, contraria victus, ratione curabis.

B Quibus æquale temperamentum eſt, *ijs* quantò iucundius fuerit quod edunt, tantò vtique fuerit magis nutriens: Nam.

C Optima Natura quantum appetit, tantum concoquit.

D Cum non liceat corpori effugere progreſſum ad ſiccitatem, id circò ſeneſcere nobis, corrumpique eſt neceſſe.

E Ne bilis in ventrem prorſus confluat, citius cibum exhibe, vbi enim totius corporis temperamentum bilioſum eſt, & imbecillus venter, niſi ijs corroboretur cibo, deffluunt in eum quas corpus accumu-

lat, ſuperfluæ ſanies, ex quarum Vapore, Vertigines, dolores capitis, ſuffuſiones, atque morbi comitiales gignuntur.

Noui quemdam cui ex lactis vſu dentes omnes perierunt, vt ex ſacchari, ſyruporum & omnium glutinoſorum. *A*

De difficultate Reſpirationis lib. 1.

Orthopnæa quæ erecta ceruice reſpiratio eſt, fit collectis viſcidis, & craſſis humoribus circa aſperas pulmonis arterias. *B*

De Difficultat. Reſpir. lib. 2.

In pleuritide quatuor mala ſemper ſe oſtendunt Sympthomata, Videlicet, febris ardens, aſſiduus dolor, tuſſis, ac difficilis reſpiratio parua ſimul ac denſa. *C*

De Difficult. Reſpir. lib. 3.

Cum oſcitatio continua fiat, ob vaporoſum quemdam craſſumque *D*

ſpiritum in genere muſculorum contentum.

De *Criſibus. lib. pr.*

A Principium morbi intellexit Hyppocrates totum illud tempus, quo morbus eſt crudus.

B Proprium Vniuſcuiuſque morbi principium concoctionis ſignis determinatur, poteſtque ad multos quaterniones extendi, cæterum tunc finietur, cum primò concoctionis ſigna apparuerint.

C Si ſtatim in prima die appareat aliquod ſignum coctionis, iam hic principium tranſgreſſum eſt.

D Perfecti ac iam finiti principij manifeſtum ac firmum eſt ſignum, manifeſta concoctio.

E Augmentum morbi dignoſcitur, quando acceſſio in intermittentibus vel exacerbatio in continuis, anticipat, longior eſt, & vehementior, maligniorque.

F Declinatio morbi, quando retardat, breuior eſt, mitior, & toleratu facilior. Et coctio perfecta, ſi declinatio

declinatio vera ſit.

Status morbi, quando acceſſiones, vel exacerbationes habent Symptomata, æque fortia, æqne longa, & æque maligna, & coctio magna eſt; quia per vigorem, morborum concoctiones fiunt. *A*

Tria ſunt ſignorum genera, quorum quodlibet coctionis præbet iudicium; Vrina quidem, eius quæ fit in venis; Deiectiones, quæ in Ventre; Sputa verò quæ in reſpirandi inſtrumentis; quibus omnibus commune eſt, morbum nunquam ſolui poſſe, niſi prius in excrementis concoctionis ſigna cernantur: Nam vt concoctiones omnes celerem criſim ſalutiſque ſecuritatem indicant: ſic cruda & quæ in prauos vertuntur humores, vel nullam criſim, vel tempus prolixum vel mortem, vel recidiuam declarant. repet. lib. de conſtit. art. med. *B*

Expultiones ſine commixtione, flauæ, craſſæ; ſpumoſæ, virides, uiſcoſæ, nigræ; pernicioſæ. Præterea facilitas ſpuitionis bona eſt, vt difficultas, mala. Quod docet *C*

Hypp. progn. lib. 2. ſputum, inquit, in omnibus doloribus qui pulmonem & latera infeſtant, celeriter expui ac facile, conuenit, mixtumque vehemẽter videri flauum ſputo.

A In ijs qui laterali morbo afficiuntur, primò quidem ſputa, ſecundò vrinas, inſpicere oportet; quoniam is morbus, omnino cum febribus iungitur.

B In paſſionibus ventris ſola excrementa inſpicere oportet ſi ſine febre fuerint; ſi verò cum febre, etiam vrinas.

C Nec ſudores, nec vomitus, nec alui excrementa, nec vrinæ, nec tumores poſt aures, nec proffluuia ſanguinis ante concoctionem morbi venientia, vnquam per criſim finierunt morbos.

D Qui ex otio, & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debeant, iis in vrina plurimum neceſſariò ſubſidet, contra iis qui ex inedia, vel labore, rubidæ ſimul & bilioſæ vrinæ excernuntur, ſoluitur plerumque morbus, priuſquam ſubſideat aliquid; ſufficitque in his nebula aut ſuſpenſio optima, qualis eſt al-

ba, leuis, & æqualis.

Vrinæ quæ bono colore ſunt prædi- A
tæ, & ſubſidentiam habent albam, leuem, æqualem, aut nebulam quamdam, aut ſuſpenſa ſimilia, omnes vrinas bonitate præcellunt, & præſertim in quibus ſubſidentia leuis fuerit; ſecundùm, in quibus ſuſpenſa ſunt talia; tertiùm, in quibus nebulæ, hæc igitur coctionis ſunt ſigna, nam quæ alba, quæ tenuis, quæ turbulenta cruditatem ſignificat.

Coctionis cruditatiſque ſigna, B
alui excrementa, & vrinas, & ſputa ſtatuere oportet; mortem autem nuntiantia ſunt quæ vnà cum his excernuntur, & quæ per totum apparent corpus.

Criticorum ſymptomatum duplex C
natura eſt, ſiquidem aliqua ſunt tanquam cauſæ & ſigna, aliqua tanquam cauſæ duntaxat. Inſida verò eſt eorum natura, & contraria ſignificans; in diuerſis morbi temporibus: in his autem, totum eſt præcognitionis ſtudium, nam in alio quidem tempore, ſecundum

aliam diſpoſitionem, critica ſunt; ſecundum verò aliam ſymptomata.

A Coctio igitur celeritatem criſis, & ſalubrem ſecuritatem ſignificat: cruda verò & incocta & in malos conuerſa abſceſſus, criſium deffectum, aut vehementes labores, aut mortes, aut eorumdem malorum reuerſiones ſignificant.

B Mitiſſimæ febres quæ cum ſignis accidunt ſecuriſſimis, quarto ſoluuntur die vel prius, ſic quæ malignitate excellunt, & quæ cum grauiſſimis ſymptomatis accidunt, quarto die, vel citius occidunt.

C Nihil omnino expuere, ſed tuſſim tantummodò ſiccam habere, tale quiddam eſt, quale in vrinis extremè crudum quod nominamus aquoſum.

D Poſt ſummi vigoris tempus, ſæpè quidem nulla fit criſis, ſed paulatim ſoluitur morbus, longo tempore concoctionem recipiens. At talem ſolutionem abſolutè criſim non nomino, ſed tantum ſi fiat permutatio magna & agitatio.

E Criſis eſt ſubita mutatio in mor-

bis, ad ſalutem vel mortem, ad melius vel ad deterius; nam quæ paulatim iudicatur affectio, per ſimplicem ſolutionem fit, hoc eſt per λύσιν non vero per κρίσιν, hæc lib. 3

Generoſi medici eſt, futurum ſtatum præcognoſcere, cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens inſtituat. *A*

Varium excrementum, variis affectibus corpus detentum oſtendit, *B* & ob hoc ipſum & diuturnum, & malignum exiſtit malum. Hac de cauſa Hypp. progn. lib. 2. ait, quando vrina modo cocta eſt modo cruda, vt longitudinem ſic minorem ſecuritatem pollicetur; quia inquit Galenus in comm. portio materiæ morbificæ cocta eſt, portio vero adhuc cruda; quod varium conflictum naturæ cum morbo ſignificat, in quo tandem conflictu ne natura ſuccumbat periculoſum eſt. Inquit Sennertus.

De Criſibus lib. 2.

Sæpè vnum ſignum forte multis debilibus fortius exiſtit. *Id. l.* 1. *criſ.* *C*

Exquiſitæ tertianæ longiſſimus *D*

terminus ſeptem abſoluitur circuitibus.

A Vera & exquiſita tertiana vniuerſum acceſſionis tempus vltra duodecimam horam non protrahit; ſæpius autem ſeptem horas acceſſio continet; nonnumquam citius aut tardius, ſed non multo finitur.

B Quod ſi vrina reddatur ruſſa aut ſubflaua appareatque craſſitudo mediocris; ac paulo poſt vel albam nebulam, aut ſuſpenſionem aliquam fecerit, febris vltra quartum circuitum non diuagabitur. Quod ſi circa primam ſtatim diem præter alia ſigna appareat in vrinis ſubſidentia leuis & æqualis, vltra tertium circuitum non progredietur.

C Continua febris ea eſt quæ ad infebricitationem antequam ex toto ſoluatur, non deſinit.

De Criſibus lib. 3.

D Nunquam contigit febrem omnia ſigna ſecuriſſima habentem, nec illam in qua ſunt omnia pernicioſa, alteram non liberare, alteram verò

non occidere in primo quaternario ægrotantem.

In nulla re adeo exercitandus eſt medicus, vt in vigoris morbi præcognitione; quicumque enim vigoris tempus prætererierint iniudicati, hi abſque criſi finiuntur, & paulatim ſoluuntur, nullumque periculum eſt ſtatus tempore elapſo; quantum iudicio aſſequi poſſum; qui vero perierunt in declinationibus, omnes hi aut proprio ſunt, aut errore medicorum extincti, nequaquam vero vi morbi: vbi enim natura ſuperior euaſit, reſtititque vehementiori morbi conatui, & quæ infeſtabant oppreſſit, hoc enim eſt ipſa coctio; fieri non poteſt vt deinceps ſuccumbat. Quod ſi à morbo non vincatur natura, mortem ſubſequi nullo modo contingit; ſiquidem nihil aliud mors eſt, quam omnimoda naturæ proſtratio. *A*

Igitur an moriturus ſit æger, necne, præcognoſcet nemo, niſi ſtatus tempus præſciuerit. Vt enim an portando oneri quiſpiam ſufficiens erit, ſcire non poſſumus, one- *B*

ris magnitudine, hominis robore; ac viæ longitudine antea non exploratis; ſic nihil de ægrotantis ſalute prius pronuntiare quidquam licebit, quam magnitudinem morbi, virium robur, ac futurum ſtatum inueſtigauerimus. Quo loco notat Donatus Abaltimarus in ſua methodo vniuerſali, Baiulum ægroto æquiparari, morbum oneri, longitudinem morbi, longitudini itineris. Et ſicut debilis Baiulus non poteſt magnum onus per longum itineris ſpatium deferre, ita debilis æger non poteſt magnum morbum per longum temporis ſpatium ſuſtinere.

A Neminem vnquam vidi, etſi millies iudiciis interfui, qui coctionibus præuiis iudicatus ſit, mortuum eſſe. Nota. Id eſſe verum in morbis abdominis & venarum, non autem in morbis pectoris.

B Primum & maximum morbis mortalibus ſignum quod abſque criſi mors ſit ſubſequutura, eſt virium imbecillitas. Secundum, ſi nullum adſit ſignum coctionis,

Tertium, ſi morbus ſit magnus; malignuſque,& moueatur celeriter, tunc enim abſque criſi mors citò ſubſequetur.

Mortis autem dies præcognoſcitur, quanto ſuperet morbus naturam conſiderando, & grauiores acceſſiones inſpiciendo, ſi enim effatu dignus fuerit exceſſus, & parum reſiſtere vis naturæ videatur, mors cito ſubſequetur; ſi verò contraria acciderint, tardius. *A*

Bilioſus humor, vbi vehementius mouetur, rigorem facit. *B*

Vomitus ſigna ſunt, oris ventriculi morſus vnà cum dolore capitis, obortæ vertigines, agitatio labri inferioris magnuſque ſputi tenuis deffluxus. *C*

Signa proffluuij ſanguinis è naribus, ſunt quidam fulgoris motus oculis apparentes; quoniam humor eſt flavus, & obtuſiones ob ſpiritus ſurſum elatos excitat. Proprium verò ſignum proffluuij ſanguinis è naribus, eſt præcordiorum tenſio ſine dolore: ita & reſpirandi difficultas, quæ fit à ſanguine per D

thoracem tranſeunte.

A Quod ſi præcordia cum dolore extendantur, non modo fluxum ſanguinis, ſed etiam aliquam ibi adeſſe inflammationem ſignificant.

B An per criſim ſolui debeat morbus, nec-ne, dignoſces primò, ex motu & magnitudine ipſius; ſecundò, ex ipſius ſpecie; tertiò, ex anni tempore, ætate, conſuetudine, & à ſuperuenientibus accidentibus.

C Criſis fit in ſtatu, vel parum ante ipſum: mors vero in tribus temporibus, principio, augmento, & ſtatu accidit: cæterum qui liberantur, omnia morbi tempora pertranſeunt, morituri vero ad declinationis tempus nequaquam pertingunt.

D In vera morbi declinatione, nullus vnquam moritur propria morbi eſſentia, ſed ob errorem commiſſum, quandoquidem vbi ſtatus morbi præteriit, natura euaſit ſuperior, alioquin non declinaſſet morbus. Pulſus autem in vera morbi declinatione fit vehementior,

æqualior, ordinatior & præcipuè mollior: In ſpuria verò, debilior, inordinatior, inæqualior, & durior. Vrinæ, in vera, habent coctiones laudabiles & perfectas, in ſpuria, minores & obſcuriores quam in ſtatu.

Morbi alij ſunt ſanabiles, & alij lethales; ſanabiles, ſunt mitiſſimi, & ſalutaribus ſtipati ſymptomatis, vt moderatis vigiliis, calore benigno &c. coctio laudabilis, & vires robuſtæ perſeuerant. *A*

Lethales ſunt maligniſſimi, prauis ſtipati ſymptomatis, vt ſyncope, vigiliis immoderatis; cruditas & virium imbecillitas ſemper quoque perſeuerant. *C*

De vſu partium lib. 4.

Eſt autem hepar primum ſanguinis gignendi organum, & venarum principium. *Vid. lib. 6. de plac. Hypp. & Plat.* *D*

De vſu partium lib. 7.

A In vniuerſum conſtat fœminam eſſe maſculo frigidiorem, & ob id ſuperfluum ſanguinem generare.

De vſu partium lib. 8.

B In Ionia vidimus adoleſcentem vulnere in alterum anteriorum cerebri ventriculorum accepto, fuiſſe ſuperſtitem, qui ne momento quidem temporis viuere potuiſſet, ſi vulnus vtrumque violaſſet. Repetit comm. 18. aph. ſect. 6. perſecta pertuſaue veſica &c. Paræus ſcribit in ſua Apologia, militem curaſſe ſauciatum in cerebro ab haſta lati ſpeculi vulnere in alterum ſuperiorum ventriculorum cerebri penetrante, quem tanquam deſperatum prognoſtico reliquerat. Tamen poſt quinque dies vulneratus ipſum adiit in tentorium pedes ambulando: qui in officina ſublato linamento & penicillis inter medicationem ſubitò mortuus eſt.

De præſagit. ex pulſib. lib. 1.

Vehemens pulſus à facultatis A ſemper robore fit; proinde quantò vehementior fuerit, tantò facultatis maius eſſe robur ſignificabit, Languidus verò, ex facultatis imbecillitate fit, quare quantò languidior erit, tanto facultatem ſignificabit imbecilliorem.

Facultatum eſſentia in commodo temperamento partium conſiſtit.

De præſagitione ex pulſib. lib. 4.

Maximum exitialis pleuritidis ſignum eſt, ſi pulſus ſit magnopere durus, & paruus, & ob ambo hæc caloremque creberrimus, pleuriticus enim cum tali pulſu, nullus eſt vnquam ſeruatus. *B*

Vigilia proprium eſt ſiccitatis C ſymptoma, vt ſomnus proffundus humiditatis; & fatuitas reffrigerationis, cæterum cum frigiditate humiditas coeat, altus ſopor in-

ducitur; ſi cum caliditate, ſopor vigiliis atque delirio iunctus orietur, quem caron vocamus.

A Præſentium cognitio eſt affectuum inuentio, cognitio præteritorum eſt inuentio cauſarum quæ induxerunt affectus: at ex præſentibus, futurorum præſagia deſumuntur.

B Primum, quod præcognoſcere volumus, eſt qualem exitum habiturus ſit morbus; ſecundum, quo tempore iudicabitur ad ſalutem vel mortem; tertium, quinam modus erit vel ſalutis vel mortis. Quæ omnia ex diſpoſitionibus præſagiuntur, ex quibus morbi genus, & facultatis imbecillitas vel robur dignoſcitur.

C Morbus cognoſcitur à loco affecto eiuſque diſpoſitione, facultas & virtus ex commodo temperamento, vel intemperie partium ſolidarum.

D Cui ſtatus facultatis perſpectus ad vnguem fuerit, locus affectus, & eius affectus, is ad futura præſentienda erit peritiſſimus.

Omnis intemperies deſtruit actum potentiæ : nec mirum, quia intemperies debilitando inſtrumentum & facultatem, debilitat quoque actionem. Vnde Gal. lib. 5. de loc. affect. aſſerit neceſſum eſſe vt inſtrumento vitiato actio quoque eius vitietur.

Omnis excretio naturæ lege facta, ſequitur concoctionem. A

De *diebus decretoriis lib.* 1.

Medicus præſtantiſſimus, ſimul præſagiet & medebitur. B

Non ignorandum eſt in peſſimo acceſſionis tempore hominem moriturum : ac proinde non magni negotij fuerit, vti diem, ſic etiam criſis horam prædicere. C

De *diebus decretoriis lib.* 3.

Ad bonam criſim quatuor neceſſaria ſunt. 1. vt fuerit indicata; 2. facta die critico; 3. cum ſignis coctionis. 4. per locum conuenientem cum tolerantia & conferentia. *Vid. Sennert. fol.* 289, *a.* D

De *cauſis pulſuum. lib.* 1.

A Viris Naturale robur laboribus creſcit.

B Facultatum robur neceſſariò pulſum vehementem facit, infirmitas languidum. Sicut inſtrumentorum ſiccitas durum, mollitudo mollem & lib. pr. de præſag. ex pulſib. ait, vehemens pulſus a facultatis ſemper robore fit. &c.

De *Dignoſcendis Pulſib. lib.* 4.

C Magnitudo pulſus copiam contenti ſanguinis ſignificat. vid. ſupr. de cauſ. pulſ.

De *præcognitione.*
Cap. 2.

D Galenus prædixit Eudemo peripatetico febre quartana laboranti in duplicem caſurum; ſi in principio morbi Theriacem aſſumeret, quod cum feciſſet, non modo duplex, ſed triplex facta eſt, hoc au-

tem fit quia crudos humores mouet, & non reſoluit.

Cap. VI.

Mulierem hinc & inde ſe iactan- em, & decubitus formam mutantem, inuiſi: cumque febre, omnique affectu morboſo vacantem inueniſſem; hanc animi morbum non corporis pati caſu cognoui: cum enim *P*yladem ſaltaſſe quidam dixiſſet, ſubito vultus eius & color eſt immutatus, & pulſus eius variis modis agitatus eſt. Sequenti die cum eſſet renuntiatum morphum & hyſtrionem ſaltaſſe, nulla in pulſu & in colore facta fuit mutatio; atque ita mulierem pyladis amore captam deprehendi. Vid. Zacut. Anthiochi Hiſtoriam refferentem. *A*

Ibidem ſeruum tabeſcentem curauit, cognito morbo animi, ex eo quod rationem pecuniarum ſibi commiſſarum patrono reddere non poſſet: qua tabis cauſa patrono denuntiata, curauit vt reliquum debiti gratis ſe ipſi impertire dixerit, *B*

qua de re lætabundus ſeruus paucis diebus ſanitati reſtitutus eſt.

Cap. VII.

A Boethi vxorem muliebri proffluuio laborantem primùm aquam ducente medicamento curaui: dein propinaui illi appij azarique decoctum, his duobus diebus peractis cum nihil proffluvij appareret, rurſum die tertia ex medicamento aluum purgante quidpiam exhibui. Poſt hæc diebus ſingulis melle illeni, corpus perfricui, primum molli linteo, poſtea aſperrimo. Interim montanarum auium carnibus veſcebatur. Qua intra dies quindecim curata Bœthus quadringentos aureos mihi dono dedit.

Cap. XII.

B Cognitio morbi, ſpeculatione cauſarum inueſtigatur; ab exacta verò & exquiſita morbi cognitione, futurorum præcognitio colligitur. Vid. lib. 4. de præſag. ex pulſib. ſupra.

Cap. XIII.

Cum vires validæ ſunt, & morbus crudus, immodicæ vacuationes ſolent ſuccedere. A

Quomodo Simulantes morbum ſint arguendi.

Morbum ſimulantes remedia reſpuunt, languent, hinc & inde ſe iactant, extrema frigent, pallent, frigidum interdum ſudant, & peculiarem affecti membri diſpoſitionem explicare nequeunt. B

Affectus colicj, ex cruditate & reffrigeratione gigni ſolent. C

De Differentiis Morborum.

Gignitur Eriſipelas à bile flaua, ab atra cancer, iı flammatio a ſanguine, & ædema à pituita; qui tumor eſt laxus & cedens. D

De *Cauſis Morborum.*

A Vinum modicè hauſtum, cum familiare ſit alimentum mirè calorem auget.

B Pars quæ fortior eſt, ſemper excrementum ad imbecilliorem propellit, quæ deinde exſe ipſa expellere quod redundat nequit; omnium autem partium imbecillima eſt cutis totius corporis excrementa recipiens.

C Cum excrementum omne aut quantitate, aut qualitate peccet, nec par ſit omnium particularum robur; ſemper quæ fortior eſt, excrementum ſuum ad imbecilliorem propellit.

D Fluxio non fit proprio motu humoris, alioquin omnis fluxio ad inferiora fieret, ſed vel a parte mittente propellitur; vel ab imbecilla attrahente recipitur.

E Vnitatis ſolutio in carne, vlcus, vel vulnus dicitur, in oſſe fractura, vel caries, quæ ab errodentibus oritur humoribus.

De Symptomat. Cauſis. lib. 1.

Quibus ſuffuſis altero oculo clauſo pupilla clarior apparet, hi ſperare debent fore aliquando vt punctione facta viſum recuperent, quibus autem non dilatatur, hi omni ſpe recuperandi viſus ſunt deſtituti. *A*

Relaxatio pupillæ ſiue ab ortu, ſiue poſtea præter naturam acceſſerit ſemper viſui incommodat; aſtrictio autem & imminutio à natiuitate contracta, acutiſſimæ viſionis eſt cauſa; a morbo autem coarctata, viſionem impedit manifeſtè. *B*

Deprauata ſaporum dignotio, fit vbi lingua alieno quopiam humore fuerit imbuta. *C*

De Symptom. cauſis. lib. 2.

Omnis cauſa mordax, motaque, ſiue calidiſſima, ſiue frigidiſſima fuerit, & rigorem & horrorem animanti inducere ſolet. horror ſi quidem debiliſſimus rigor eſt. *D*

Tres ſunt actionum læſarum dif- *E*

ferentiæ, prima, eſt actio abolita; Secunda eſt imminuta vel imperfecta; Tertia deprauata & vitioſa.

A Omnis intemperies vires deiicit. repetit *comm. 22 aph. lib. 2.*

B Quod ad ſanguinis excretiones pertinet, præter eam quæ fæminis ſingulis menſibus oritur, reliquæ omnes præter naturam toto genere exiſtunt.

C Solent flatus in ſpatiis ventriculi oriri, cum humores pituitoſi illic contenti ſunt, vel cum cibi ab imbecillo calore in flatus ſolvuntur.

D Si quando alimentum quod per Mezaraicas Venas hepar attraxerat, nequeat conficere, per eaſdem ſemicoctum ac ſimile aquæ, in qua carnes nuper mactatæ ablutæ fuerunt, ex pellit, qui fluxus Mezeraicus appellatur.

E Cruentorum excrementorum quatuor ſunt differentiæ; Prima, vbi ſanguis per circuitus quoſdam emanat, idque ob virium robur; Secunda, cum ob imbecillitatem iecinoris ſanguis ſimilis lauacro ablutarum carnium deiicitur: Tertia, ex me-

lancholico ſplendenteque ſanguine & ex his tribus multum & affatim redditur. Quarta, quæ ex vlcere inteſtinorum oritur, vocatur dyſſenteria, paulatim & breuibus interuallis deiiciens, in qua interdum ſincerus ſanguis, interdum grumoſus, interdum cum mixtione puris excernitur; nonnumquam ramenta, & partes quædam membranoſæ deiiciuntur.

Teneſmus ob vlcus recti inteſtini euenit. *A*

Quando humor à cerebro ad os fertur, dicitur diſtillatio ſeu defluxio, quando ad nares, grauedo; ad trachiam, raucedo: ad fauces, catharrus. *B*

De Symptom. different.

Morbus eſt affectus contra naturam actionem lædens. *C*

Sanitas eſt naturalis diſpoſitio actionis auctor. *D*

Symptoma eſt omnis à naturali ſtatu mutatio, quæ morbum veluti vmbra ſequitur. *E*

Alteratrix facultas in ventre abolita eſt, quando cibus talis relinquitur, qualis eſt aſſumptus. Imbecilla, quæ tardè concoctionem abſoluit, Deprauata, quæ cibos in malignam qualitatem permutat.

A Abſoluta concoctio eſt cum cibus in qualitatem animanti familiarem mutatus eſt, hæc vocatur πέπσις, nam πέπασμος eſt humoris putridi in meliorem ſtatum reductio à calore natiuo facta.

De *plenitudine.*

B Cor arteriarum fons & origo eſt, neruorum cerebrum, & venarum hepar. Repetit lib. 6. de placit. Hypp. & Platon.

C Naturales potentiæ quatuor ſunt, attractrix, retentrix, alteratrix, & expultrix.

D Grauitas euidentiſſimum ſignum eſt plenitudinis quæ ad vim ſenſitiuam ſpectat, nam ſi in particula, quæ ſenſu prædita eſt, quædam humorum multitudo aggregetur, in ea ſtatim grauitatis ſenſus perſentitur.

Quatuor

Quatuor ſunt pituitæ ſpecies, dulcis, acida, ſalſa & vitrea ſeu cruda. Ex dulci fiunt ſomnolenti, ex acida famelici, ex ſalſa ſiticuloſi, ex cruda ſeu vitrea inappetentes & colici. *A*

Plurimum venæ cum arteriis ob eorum vaſorum mutuam confluentiam plethora ſimul corripiuntur: interdum non ita facilis fit ab ipſis in arterias transfuſio; ſed hoc certè rarum eſt niſi quam maximè craſſi atque glutinoſi humores ſint. B

De *Atra Bile.*

Vbi per febrem melancholicus humor in cutem propellitur, carbunculus producitur: ſi ſine febre decumbat, & fuerit permixtus ſanguini, elephantem gignit. Quod ſi ſolus exiſtat, ab initio nigrum tumorem gignit qui proceſſu temporis terminatur in cancrum. Rurſus vbi acrior & contumacior humor fuerit cancrum exulceratum; ſi mitior, occultum producit. Quippe omnes eiuſmodi affectus & præſer- *C*

tim cancer ab humore melancholico oriuntur.

A Vt carbunculus à calidiori, ita ab eo qui minus calidus eſt oriri cancer conſueuit. Cum autem ſanguini miſcetur, ſubrubros elephantos gignit, qui proceſſu temporis nigriores euadunt: ſæpe autem is humor per venas hæmorrhoidales excernitur; ſæpe ad crurum venas tranſmiſſus varices inducit, proceſſu temporis nigras efficiens, quæ ſi excidantur periculum eſt ne æger melancholia corripiatur.

B Septem ſunt differentiæ bilis, quæ intenſæ à caliditate ſecundum magis & minus differunt. Bilis pallida, flaua, vitellina, cærulea, porracea, æruginoſa, & rubra. Quæ vltima ichor eſt ſanguinis tenuioris & calidioris. Ex maiori vero vel minori caloris gradu, variæ bilis exurgunt differentiæ.

C Tres ſunt melancholici ſucci differentiæ, fæx ſanguinis naturalis non aduſta, fæx ſanguinis aduſta, & atra bilis ſeu flaua ſupra modum aſſata.

Omnes exulcerationes ab atra bile ſunt inſanabiles, niſi quis curationem appellet, vbi aff cta pars tota circumquaque ad partem vſque ſanam diſſecta, abſcindatur. A

Medicamenta ſingula proprium quendam ſimilemque ſuccum ſibi eliciunt. *Repetit. de natural. facul. & comm. 22. aph. lib. 1.* B

Si melancholicus humor ad partem aliquam propellitur febrem efficiens, carbunculum producit, abſque febre cancrum; cæterum vt à calidiori carbunculus, ita ab eo qui minus eſt calidus, oriri cancer conſueuit. C

Cum atra bilis in partem aliquam decumbit, carbunculum vel cancrum generat. *Vide curationem lib. 14. meth.* D

De *Tumoribus præter. natur.*

Phlegmon eſt tumor carnoſarum partium cum tenſione, renitentia, dolore pulſatili, calore ruboreque. E

Omnia corpora calida & humida in calido loco coacta putreſcunt F

promptè, niſi difflentur & euentillentur.

A Quando ſanguis feruens & inflammationi propinquus, exurit cutim, bullas parit quemadmodum in ambuſtis; cum inflammatione circumquaque, qui affectus carbunculus appellatur; quibus ruptis vlcus cum cruſta gignitur. *Vid. ſup. de atra bile.*

B Gangræna carbunculique excitantur, cum ſanguis feruens & inflammationi propinquus exurit cutim, & bullas parit quemadmodum in ambuſtis, & febrem acutiſſimam infert. *Lib. 2. ad glauc.*

C Gangræna, inquit, eſt maxima inflammatio à ſanguine craſſo & feruente orta, ad mortificationem accedens; hoc eſt cum mortificatio eſt tantum inchoata & imperfecta, dum videlicet aliquis adhuc in parte reſtat obtuſus ſenſus, nam quando eſt omnino deperditus vocatur ſphacelus ſeu mortificatio in facto, cuius curatio vnica eſt, nempe membri amputatio.

De Tremore & Palpitatione.

Palpitatio eſt dilatatio quędam atque contractio cordis. Præter naturæ ordinem. *A*

Tremor eſt partium quæ ſurſum & deorſum feruntur motus inuoluntarius. *B*

Palpitatio fit à ſpiritu craſſo, vaporoſo, exituque prohibito. Qua facile corripiuntur frigidiores ætate, & natura, hyeme, & regione frigida, qui crapula, vini vſu immoderato, cibis flatulentis & frigidis vtuntur. *C*

Tria corpus noſtrum conſtituunt, continentia, contenta; & impetum facientia. Continentia Hypp. vocauit ſolida, contenta, liquida; nam liquida ſolidis continentur, quæ verò impetu feruntur ſunt ſpiritus. *D*

Mulierem quæ poſt partum nec ſecundas expellere, nec ſanguinem expurgare poterat, indeque tremore correptam, ſecta in malleolo vena curauit Hypp. *E*

A Natura, animaque, nihil aliud eſt quam calidum innatum, & nobis à primordiis inditum.

B Rigor eſt indicium maximum exquiſitæ tertianæ, quæ ab ingenti oritur ardore.

C Febribus ab ingenti ardore continuis ſolet rigor ſuperuenire, eaſque ſoluere.

D Rigor non frigori duntaxat tribuendus eſt, ſed ab acri calidoque humore per ſentientia loca delato interdum proficiſcitur.

E Cum corporis partes anterius tenduntur ſymptoma dicitur emproſtotonos, cum poſterius opiſtotonos, cum in vtrumque latus ex æquo inclinant, tetanos.

F Conuulſiones à ſiccitate ortas ne curandas ſuſceperis, nam qui iis ſunt affecti citiſſime intereunt; quæ verò vel ab humorum copia vel ab inflammatione trahunt ortum, iis ſi lenitudinem vacues, aut inflammationi commodis remediis ſuccurras, mederi poteris.

De totius morbi temporibus.

In vniuerſum nemo ſeruari po- A
teſt, niſi à natura morbus ſupere-
tur; neque perire, niſi à morbo
natura vincatur.

Cruda vrina illa eſt, quæ nec B
ſuſpenſum quidquam, nec nebulam
habet, imò quæ nec craſſitiem ali-
quam nec pallorem aſſumpſit; ſed
alba eſt, conſiſtentia tenuis aquæ
ſpeciem refferens.

Igitur vt totam meam methodum C
in pauca contraham, in vigore
morbi, quod mitigandi vim habet
in curatione præpollere debet; in
principio & fine, quod vehemen-
tiam habet; at reliqua tempora pro
ſummorum proportione capiantur.

Oſtendimus totius morbi princi- D
pium cruditatem exiſtere.

Tempora morborum non aliundè E
quam ex cruditatis, coctioniſque
ſignis depræhenduntur, quæ ex re-
crementis petuntur.

De locis affectis lib. 1.

A Corruptionis ciborum tres primæ, ac veluti generaliſſimæ ſunt differentiæ; vna quidem per proprios ventriculi morbos; altera, à vitioſis humoribus in ipſo collectis; 3. ab alimentorum qualitate, vel quantitate inducitur.

B Si in ventriculo cibi in fumoſam qualitatem mutentur, idque non ex ſua natura cauſam calidam, ſin aceſcat, frigidam eſſe oporte.

C Intempeſtiuus horror cum febre, inflammationis ad ſuppurationem tranſeuntis indicium eſt. *Repetit. lib. Coacar.*

D Lingua nigricans ardentem febrem oſtendit, paucæ tamen affectuum ſunt notæ, quæ non ſimul affectam ſedem oſtendant.

F Ad calidum, nauſea quædam inanis, ſitiſque vehemens conſequitur, vt à frigido. ciborum cupiditas excitatur. *Repetit. comm. 21. Aph. ſect. 2.*

De Locis Affectis lib. 2.

De Doloris ſpecie. cap. 1.

Dolor, Triſtis eſt ſenſus ſicut voluptas blandus. A

Primæ doloris ſpecies ſunt duæ, vna dum ſubitò temperies mutatur; altera dum continuitas ſoluitur. Quantam autem vim habeat intemperies ad inducendum dolorem ex his licet perpendere, qui vehementer reffrigerati, manus affatim calefacere tentant, quippe intolerabilem ſentiunt dolorem, præcipuè iuxta vnguium radices. B

Si lapis dolorem excitauerit, vel ſolus, vel cum Cruore excernitur, in vriniſque ſubſident ſabuloſa quædam; at ſi in colo affectus conſtiterit, nihil horum videtur ſed potius inflatio quædam, extenſio, & flatus complures, tormina &c. C

De Dictis Archigenis, Cap. 2.

Hoc capite omnes doloris ſpecies & notas explanar.

Qua ratione pars affecta & eius diſpoſitio cognoſcatur. Cap. 3.

A Vbi membrana coſtas ſuccingens eſt inflammata, acuta febris infeſtat, ſimulque dolor punctorius, vna cum ſpirandi difficultate.

B Præcipuè danda opera eſt, vt morbi eſſentiam cognoſcamus, quæ cognita facile nobis licebit per contraria curationem moliri. Nam

C Qualitas remedij à contrarietate morbi deſumitur, ex Hypp. aph. 19. ſect. 5. quæcumque reffrigerata ſunt, inquit, excalefacere oportet &c. firmat Gal. 1.1, meth. contrariorum inquit, contraria ſunt remedia &c.

Quantitas autem ab humoris copia, laborantiſque viribus; quod ſuadet, etiam Fernel. lib. 3. meth. an, inquit, vniuersè, an partite vacuare oporteat, humoris copia laborantiſque vires indicabunt.

D Cauſa calida, motum & vigilias excitat. Frigus otioſum & ad motiones pigrum reddit animal, quâ

ratione ſomnum ſtuporemque conciliat; gignitur autem ſopor vel ab intemperie frigida & humida, vel à pituita in cerebro exuperante.

Tunc affectus proprius putandus est, cum permanere in parte quapiam conſpicitur. At vbi pars aliqua ſimul cum alia ſic afficitur, vt irritata vna altera irritetur vehementius, remiſſa vero irritatione quieſcat, eam per conſenſum affici ſciendum eſt. Repetit. lib. 1. & 3. A

De locis affectis, lib. 3.

De triplici læſione per conſenſum, cap. 2.

Pars tripliciter per conſenſum læditur; primò quando nimium humoris ſuſcipit. vt in ſuffuſione contingit; cum videlicet oculi vapores ab ore ventriculi affatim elevatos ipſam viſionem lædentes ſuſcipiunt, Secundo, quando pars minus recipit quam opus ſit. quod inſenſibilitati digitorum, quæ fit à læſione originis ne ruorum accidit; cum B

videlicet præ obſtructione neruorum ſpiritus animales parti affulgere nequeunt, Tertio, propter operis ſocietatem impeditam, quando vig. vox offenſa eſt, præ gutturis & intercoſtalium muſculorum læſione, quæ ad vocem magnam effor mandam conducunt.

A Ego vero re ipſa, & publice & priuatim, apud eos videlicet, qui à me ſectam quamlibet diſcere cupierunt oſtendi : me in omni ſectarum ſcientia ne maius quidquam dixero eſſe poſthabendum nemini. Quod ſi alicui ſectarum patrocinium ferre velim, quamuis extempore ac pro re nata dicendum fuerit, haud tamen facile ab aliquo conuinci me rationum penuria patiar.

B Itaque Medicinam proffeſſus vſque ad ſenectutem nullam vnquam calumniam ſubij, neque curando, neque præſagiendo. Id quod celeberrimis quibuſdam Medicis interdum accidiſſe memini. lib. 5. 2. de loc. aff. ſibi aduerſatur: dum ſe deceptum proffitetur.

Memini, inquit, mihi accidiſſe A
dolorem vehementiſſimum vt mihi
viderer in intimo ventre terebro
perforari, in eo potiſſimum ſpatio
per quod à renibus ad veſicam
vreteras ſcimus extendi. Iniecto deinde ruthaceo oleo cum id paulo
poſt excernere tentarem, excreui
ſimul grauiſſimo cum dolore humorem vitreum vitro fuſo haud abſimilem.

Equidem putabam lapidem in al- B
tero vreterum impactum, atqui vacuato humore doloreque ſedato, manifeſtè apparuit neque lapidem fuiſſe cauſam, neque in vreteris aut renibus locum fuiſſe affectum, ſed in inteſtinis potiſſimum verò craſſioribus.

De *Læſione principum anim. facul.* *Cap.* *III.*

Præceptum eſt in omnibus mor- C
bis obſeruandum, quod vniuerſi
corporis euacuatio præmitti debeat
priuſquam ad partem affectam curandam veniamus. Et lib. 4. meth.

ait non licet ſanare oculum ante caput, neque caput, ante totum corpus.

A Cucurbitulæ citra ſcariſſicationem adhibitæ ſolius excitandi caloris gratia, vtiles eſte cenſentur. quippe attrahunt ad ſe humorem ex imo, id quod magnoperè aridæ diſpoſitioni aduerſatur.

B Vt humiditas ſi abundat longos proffundoſque ſomnos inducit, ita ariditas ſola vigilias. Quod ſi frigus cum humore intendatur, vehementem ſoporem ſtuporemque conſtituit, ſine hoc verò, memoriæ nocet ſtultitiamque inducit.

De *Stultitia, Lethargo, Phrænit.* *Et Convulſione. Cap. IV.*

C Vbi vel periit, vel grauiter læſa eſt memoria, frigida omnino cerebri intemperies eſt; quocircà calefacere ipſum oportet, at verò exſiccare vel humectare non neceſſarium: ſed ſi humiditati copuletur, areſacere; ſi verò ſiccitati, madefacere oportet.

D Si partes omnes quæ infra faciem

ſitæ ſunt conuulſæ videantur, primas ſpinalis medullæ partes affectas eſſe putandum eſt, ac proinde illis opitulandum. Si verò ſimul cum vniuerſo corpore facies quoque conuulſa videatur, non modo ſpinalis medullæ exortum, ſed cerebrum ipſum à quo nerui faciei oriuntur curamus.

Atræ bilis differentiæ ſunt tres, fæx ſanguinis naturalis fæci vini haud abſimilis, altera fæx ſanguinis aduſta; tertia, flaua bilis ſupra modum aſſata. *A*

Morbus comitialis, conuulſio eſt omnium corporis partium cum principum animæ functionum læſione, non quidem perpetua, vt in Emproſtotono, Opiſtotono, & Tetano; ſed quæ ex temporum accidit interuallis. Fit autem ab humore craſſo (vel potius à vapore craſſo) in ventriculis cerebri exiſtente, meatus obſtruente, & ſpirituum tranſitum prohibente. *B*

Ventriculo cerebrum, cerebroque ventriculus ſuas affectiones tranſmittit, idque propter neruorum à *C*

cerebro deſcendentium magnitudinem ; per quos ſenſus huic particulæ quam vlli reliquarum corporis partium acutior eſt : quocircà in fracturis capitis vbi ad membranas perueniunt, bilioſus vomitus excitatur. Capitis verò dolores quomodocumque fiant, nauſea, ſtomachique morſus conſequitur.

De Melancholia, cap. 5.

A Melancholici magna ex parte comitiali morbo laborant, & contra morbo comitiali laborantes melancholici euadunt. Atque horum vtrumlibet magis accidit, prout in in hanc vel in illam partem infirmitas repit, ſi enim in totum cerebri corpus repat, epileptici ; ſi verò in mentem, melancholici euadunt ; cum autem non ſolum ab atra bile, ſed etiam à pituita morbus comitialis oriatur, ſciendum eſt eum ſolum qui ab atra bile ducit originem, in melancholiam tranſire poſſe. *Repetit. Hypp. lib. 6. Epid. ſect. 7.*

B Cum anima ipſa aut temperamentum actiuarum qualitatum ſit, aut ab ipſarum temperamento permutetur.

Tres ſunt melancholiæ morbi differentiæ: vna idiopathica, cerebri eſt, altera ſympatica, à toto corpore; tertia eſt certum melancholiæ genus à ventriculo ortum, quem morbum Hyppocondriacum flatuoſumque nominamus, recentiores verò myrrhachialem appellant. A

Diocles hoc in morbo pyloron inflammatam eſſe ait, & venam portam obſtructam eſſe, quod ex calore partis inſigni deſumit, nauſea, ructibus, ſiti, & ſimilibus. Quibus etiam accedit metus & meſtitia, de quibus cum loquatur *Hypp. aph.* 42. *lib.* 7. Ait, ſi metus & mæſtitia longo tempore perſeuerent melancholicum eſt. In fine vero capitis curationem apponit. Hunc, inquit, morbum minimè inueteratum ſolis frequentibus balneis victuque humido & boni ſucci ipſe alias curaui. B

De morbo comitiali. Cap. 6.

Tres ſunt Epilepſiæ differentiæ, ſeu ſpecies. Vna propria, & eſſentialis in cerebro: 2. per conſenſum ab ore ventriculi; 3. cum à parte aliqua C

determinata vapor malignus & venenatus ad cerebrum tranſmittitur. Quod fit ex pelopis præceptoris mei ſententia, vel continuitate partium vel communicatione vaſorum; mediante aliqua aura cerebro tranſmiſſa, quem affectum inquit, vidi in puero, qui auram frigidam à tibia eleuari ſentiebat ad femur, exinde ad lumbos & latera, donec ad caput perueniſſet; Quo tempore Epilepſia corripiebatur. Similem ego ipſe affectum vidi Auenioni ann. 1636. in puero qui admoto parti affectæ, tibiæ videlicet, actuali pyrotico & vacuata multa aqua ſordida ſanatus eſt.

A Vbi acris humor ipſum ventriculum mordicat, non ſingultum modo, ſed conuulſionem per vniuerſum excitat corpus; quod ego ſæpius in praxi notaui; maximè Romæ, in Xenodochio ſanctiſſimi Saluatoris vulgo ſancti Ioannis Laterani. In quo per annos quatuor medicus aſſiſtens ſum commoratus: in ægrotis febre ardente detentis, qui in exacerbationibus, à bile ad os ventriculi con-

ſluente & ab ore ventriculi ad cerebrum effumante, conuulſione vniuerſali prȩhenſi ſunt, à qua, tamen vomitu prouocato & bile porracea multa vacuata, liberati ſunt.

De Caphalea & Hæmicrania, *cap.* 6.

Spiritus craſſi ſeu vapores craſſi, dolores tenſiuos pariunt, bilioſa vero excrementa dolore mordaci ægros afficiunt.

Dolores à plenitudine inducti grauitatis ſenſum præ ſe ferunt.

De Apoplexia & paralyſi, *cap.* 8.

Cum omnes pariter nerui tum ſentiendi, tum mouendi vim amiſerunt, affectus hic apoplexia, appellatur, vbi verò alteri vel dextro vel ſiniſtro accidit appellatur reſolutio: quod ſi in aliquo membrorum acciderit, eiuſdem membri reſolutio dicetur.

Omnium peſſima ſpiratio eſt quæ intermittitur, & magna cum violentia trahitur: ſiquidem propter id contingit mori apoplecticos, quod ſpirare non poſſint.

Pauſanias paralyticus duobus minimis digitis ſiniſtræ manus oblæſio,

nem initij dorſi à caſu Vehiculi, cum ab Empyricis parti affectæ inutiliter applicarentur remedia, & curari non poſſet. Iiſdem remediis origini neruorum primario læſæ ex iuſſu applicitis, ſanitatem conſecutus eſt.

De Locis Affectis. Lib. 4.

De Viſu. vbi de Delirio Sympathico agit. Cap. 1.

A Si illæſo viſus organo facultas viſiua læſa ſit, neruum opticum affectum eſſe ſciendum eſt. Qui dum à craſſitie penitus obſtruitur, cæcitas generatur, à barbaris gutta ſerena dicitur.

B Per facultatem intellige internum inſtrumentum ſeu organum viſus, Vt omnes doctores exponunt, vel prauam conſtitutionem partium ſimilarium.

C Vapores qui à ventriculo & partibus inferioribus ad cerebrum eleuati delirium ſympathicum ſeu phrænitidem ſympathicam produ-

cunt: ſimilia ſuffuſioni accidentia afferunt. Tres enim delirij ſympathici ſeu phrænitidis ſympathicæ ſpecies ſeu differentiæ ſunt: quidam enim phrænitici de iis quæ offeruntur recte iudicant, cogitando verò à naturali iudicio aberrant, quidam male iudicant, & recte cogitant: alij ſimul & ſenſus & cogitationis vitio laborant. Quod ex ſequentibus exemplis fit manifeſtum.

Cum, inquit, Romæ phræniticus domi cum lanifici puero detineretur, ad feneſtram accurrit, petiitque à prætereuntibus an vellent vt ſupellectilia abiiceret, quibus annuentibus per feneſtram abiecit. Quo facto magnis acclamationibus riſerunt; poſtea cum puerum lanifici corripuiſſet, & petiiſſet, an vellent vt puerum proiiceret, ipſis annuentibus per feneſtram abiecit, & à caſu penitus confractus aſt. A

Fert & aliud exemplum a ſe petitum. Cum, inquit, à bilioſis ſuccis in ventriculo exiſtentibus delirio per interualla caperer, feſtucas B

carpebam & floccos auellebam, quod cum audiviſſem ab aliquo amico id me peragere, exclamavi, ne phrænitis me corripiat, auxilio eſtote.

De Sopore, linquæ, & auditus affectibus Cap. II.

A Inter ſoporem & apoplexiam morbus comitialis eſt medius, quorum omnium morborum frigidus craſſuſque, aut omnino viſcidus humor eſt cauſa.

B Si illæſo apparente aurium foramine ſola audiendi facultas læditur, nervum auditorium affectum eſſe putandum eſt. Vbi verò reliquæ faciei partes ſimul cum functione audiendi læduntur, ſciendum eſt in cerebro diſpoſitionem eſſe contra naturam.

De Spinalis Medullæ affectibus. Cap. III.

C Pulſatio arteriarum quantus ſit calor indicat, ac deinde per inſpi-

rationem ipſam perpendere oportet, an multa, an frequens, an exſufflando fiat; poſtremo thoracem in pectore tange: quem ſi præter cætera ardentem inueneris, iam omnes copioſi caloris notas te habere ne dubita, quibus ex abundantia accedit faciei oculorumque rubor, capitis ardor, ſitis vehemens, lingua arida ſalebroſaque.

De Sanguinis ſputo. Cap. IV.

A Sanguinem è ventriculo gulaque, vomitione, ex ſpiritualibus partibus tuſſi, ex faucibus & gurgulione ſcreatum, ex ore, ſimplici expuitione expelli apud omnes medicos in confeſſo eſt.

B Contingit plerumque vt vel relaxata, vel exeſa, vel aperta, vel rupta vena, ſanguis affatim tuſſiendo eiiciatur. At ſi ſpumoſum aliquid ſimul eductum fuerit, efficaciſſimum indicium eſt è pulmone educi.

C Pthyſis, ſeu vlcus pulmonum, vel inſanabilis eſt vel certe difficulter ſanatur.

De Dyſpnæa Cap. VI.

A Si videris aliquem ſpirantem, ægre, ita vt inter ſpirandum, thoracis omnes moueantur muſculi, pectuſque vna cum ſcapulis inter ſpirandum attollatur, vnum ex tribus coniicies; aut extremam imbecillitatem, aut viarum ſpiritus anguſtiam, aut intenſam in corde & pulmone caliditatem. His tribus ſimul coeuntibus proximam mortem timere oportet; ſi verò duæ affuerint, difficile eſt ægrum ſeruare; vna vero duntaxat infeſtante peculiari opus eſt finitione ſeruabitur ne æger, an ipſi malo ſuccumbet.

B Si per inſpirationem pinnæ narium dilatatæ videantur, id ſane efficax roboris proſtrati eſt indicium.

De Pulmonum Affectib. Cap. vlt.

C Si inter difficile ſpirandum ægri minime ſtertere videantur, in dieſque augeatur ſymptoma crudi tuberculi ortum ſuſpicari oportet.

ſi vero ſtertendo ſtrepitum fecerint lentorum craſſorumque humorum multitudinem pulmonum bronchia moleſtare indicium eſt. A

De crudo Tuberculo.

Quatuor vidi crudo tuberculo laborantes intra 35. practicæ annos. Vnum in Italia, tres in gallia. Duo mortui ſunt, & duo Sanati. Quibus ſalus contigit, tuberculum erat ſolum inchoatum & non perfectum ſeu induratum: quod ab excrementis craſſis & lentis à cerebro in trachiam de lapſis productum fuerat; cuius trachiæ extremitati ſuperiori, iuxta oſſis hyoidis, & cartilaginum internam partem humor lentus adhæſerat, & à calore & frigore intempeſtiuè ſumptis induratus fuerat & tandem in tuberculum ſeceſſerat. Laryngis ductum in duobus ſemiocclusum humectantibus & relaxantibus internis & externis curauimus. In aliis duobus ductus penitus obſtructus fuit, ſpiratio omnimodè intercepta, & mortui ſunt. B

Hoc in affectu ægri longam & fortem agunt inſpirationem, quia parum aëris ſuſcipiunt, collum inter inſpirandum elongant; multi hoc morbo ab interceptione aëris ſuffocati & veluti ſtrangulati moriuntur, in aliquibus fit operatio laryngothomiæ. Rara eſt affectio.

A Duobus modis tuſſiendo pauca quis expuit; nempe ob lentum craſſumque humorem, aut ob impensè tenuem; ſiquidem tenuis humor cum ſublatus eſt inter tuſſiendum à ſpiritu diuiſus reffluit: lentus verò aut omnino craſſus difficulter, effertur vt pote qui à corporibus quibus impactus eſt non tam facile abſtergi poteſt; neque à quouis ſpiritu niſi à vehementi & multo impelli.

B Vbi cum ſpirandi difficultate cui & anguſtia & grauitas coniuncta eſt acuta quoque febris inciderit, affectus is inflammatio eſt pulmonis.

C Antipater medicus celebris ſexagenarius pulſum habens omnino inæqualem & intermittentem manum Galeno porrexit pulſum tactu-

ro, petiitque ab eo quænam corporis diſpoſitio eiuſmodi pulſus cauſa videretur. At ille ex obſtructione craſſorum & viſcoſorum humorum in pulmonibus hunc pulſum prouenire aſſeruit. Tum ille oportuiſſet me ſuſpirioſa Orthopnæa laborare. Reſpondit Galenus id eſſe verum quando in aſperis, non quando in leuibus arteriis craſſus & lentus humor cumulatur. Sex autem menſibus elapſis, accedente leui tuſſicula, ſpirandi difficultate, & cordis palpitatione ſubito mortuus eſt.

De *Locis Affectis, lib.* 5.

De cordis Affectibus. cap. 1.

Cor innati caloris exiſtit fons & origo, quemadmodum motus & ſenſus cerebrum, hepar denique facultatis nutritiuæ, à quibus tribus principiis animal gubernatur. *A*

Animal mori non poteſt niſi prius cor ipſum afficiatur, ad cuius intemperantias immodicas mors ne- *B*

ceſſario ſequitur. Siquidem partes omnes corporis ſine temperie cordis, eiuſque ſpiritibus viuere nequeunt; cor autem ſine actione hepatis & cerebri per aliquod temporis ſpatium ſubſiſtit. Nam vt ceſſante ſole lumen diei ceſſat, ita ceſſante corde lumen vitæ ceſſat. Repetit de ſimpl. medicam. facult.

A Palpitatio cordis plurimis per integram valetudinem degentibus accidere viſa eſt; quos omnes detractio ſanguinis iuuit, vna cum extenuante victus & medicinæ ratione. Horum autem ſic affecti nullus ad ſenectutem peruenit.

De Thoracis Affectibus. Cap. 2.

B Exquiſita pleuritis fit vbi membrana coſtas ſuccingens eſt inflammata, & primario affectu laborat, proinde dolor vel ad iugulum vel ad præcordia poteſt extendi, ad iugulum quidem ſuperioribus eius partibus, ad præcordia verò inferioribus inflammatis. Vehemens quoque febris huiuſmodi inflammationem ſequitur.

In pleuritide ſi bilis abundat pallidum aut flauum, ſi atra bilis, nigrum : ſi pituita, ſpumans & candidum : ſi ſanguis ſputum rubrum eiicitur. A

Qui in infimo thorace vulnerati ſunt, iniectam per vulnus aquam mulſam illico expuere ſolent. B

Inſeparabilia lateralis morbi ſymptomata ſunt febris acuta, dolor ac ſi locus intendatur & pungatur; ſpiratio frequens & exigua ; pulſus paruus arteriam duram & quodammodo tenſam indicans; tuſſis magna ex parte cum coloratis ſputis, nonnumquam verò ſine his. Atque has ſane incoctas vocant pleuritides, quæ vel celerrimè hominem rapiunt, vel longo temporis ſpatio finiuntur. C

De Diaphragm. Affectib. Cap. 3.

Phrænitidis propria præcipuaque nota eſt, in declinatione quidem febrium delirium quieſcere : cum nimirum non per conſenſum ſed primaria affectione cerebrum laboret. D

A Signa præcedentia phrænitidem ſunt immodicæ vigiliæ, ſomnus imaginationibus variis turbatus, aut denique rerum omnium quæ faciunt aggreſtis obliuio, interdum maiori cum tumultu aut temeritate reſpondent, cum tamen antea fuerint manſueti; atque hi omnes potu exiguo vtuntur; interdum occiput dolore infeſtatur: cum autem ſunt phrænitici, oculi euadunt vehementer ſquallidi, aut ex altero ipſorum acris lachryma effunditur, dein lippitudo innatat ſanguiſque ſtillat è naribus, quo tempore nihil quod ad prudentiam pertinet reſpondent; floccos euellunt & feſtucas carpunt, atque aridiori febre cui non ita magnæ in alterutrā partem mutationes accedunt, torquentur. Lingua illis aſpera eſt, nonnullique auditu falluntur, atque interdum iacent cogitabundi, quin etiam diſpoſitione dolorifica affecti vel acrius premente aliquo eam non ſentiunt.

B Ab aliarum vero partium nulla perpetuum delirium oriri poteſt,

dempto ſolo ſepto tranſuerſo, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo differt.

De Gulæ Affectibus. Cap. 4.

ἀναστόμωσις α ῥήξει & διαίρεσει diſtinguitur, quod fiat ſubito & ſine dolore, A ῥήξεως verò & διαιρέσεως cum dolore.

De oris ventriculi Affect. cap. 5.

Grammaticus quidam iuuenis B quoties nimis vehementer docebat, cogitabat, eſuriebat, vel iraſcebatur, morbo comitiali corripiebatur; ob nimis acutum oris ventriculi morſum. Huic tertia vel quarta hora panem optime præparatum exhibere iuſſi; ſolum, ſi non ſitiret, ſi verò ſiti cruciaretut ex vino madididum & quidem albo & minimè aſtringente, nam huiuſmodi vinum vires addit ſtomacho & non tentat caput, Deinde ſingulis annis bis aut ter picram ex aloe exhibens, ita reſtitui hominem, vt reliqum vi-

tæ integra ſanitate frueretur, hoc enim medicamen totum ventriculum ab excrementis liberat, ipſumque ad actiones proprias corroborat.

De Iecinoris Affectibus. cap. 6.

A Iecur declarant affici in dextra præcordiorum parte grauitas, dolor tota præcordia retrahens atque ipſius ad iugulum vſque extenſio, tuſſis exigua, linguæ color in primis ruber, deinde niger, cibi faſtidium, inexplebilis ſitis, vomitus tum ſinceræ bilis, tum vitellinæ, tum æruginoſæ; aluus quoque aſtringitur niſi cum viſceris huius imbecillitate inflammatio ipſa acceſſerit, & febris vehementiſſima, ſed maximè dum Eryſipelate tentatur.

B Quandoquidem hepar facultatis ſanguificatricis eſt inſtrumentum, neceſſum eſt, vt ipſo vitiato actio quoque eius vitietur.

C Ex Nimia refrigeratione hepatis, & intempeſtiua & copioſiori aquæ frigidæ potatione aqua intercus ori-

tur. Quod ſequenti exemplo fit ma-
nifeſtum.

Dum curarem ægrotantes Romæ
in Xenodochio ſanctiſſimi Sal- A
uatoris, vulgo Sancti Ioannis late-
rani anno 1640. Æger febre arden-
te laborans æſtiuo tempore ſiti inex-
hauſta cruciatus, inſciis & non ad-
vertentibus cuſtodibus in fontem
cucurrit qui eſt extra Xenodo-
chium in medio plateæ induſio ſo-
lo opertus nudiſque pedibus, qui
antequam cuſtodes adſtitiſſent, tan-
tum aquæ potauit, vt eius abdomen
inflatum fuerit, & aſcitem contra-
xerit calida nempe intemperie he-
patis in frigidam ſubito mutata, ita
vt ipſum poſtea vt hydropicum ſem-
per curauerim.

Qui os Ventriculi perfrigeratum B
habent vehementi ciborū deſiderio
tenentur, qui verò præcalidum ve-
hementi anorexia.

De Regio morbo. cap. 7.

Calidas intemperies nunquam
comitatur cibi cupiditas, ſed faſti- C

dium graue, ſitis vehemens atque prauorum humorum Vomitus. Firmat comm. aph. 21. ſect. 2. famem, inquit, thorexis ſoluit, quia calore vini, pituitæ frigiditas corrigitur.

Sciendum eſt in ſingulis parti-
A bus noſtri corporis quatuor ineſſe facultates naturales, attractricem, retentricem, concoctricem & expultricem; quarum robur & imbecillitas ex tribus coctionibus arguuntur.

Icterus accidit interdum ob fellli-
B culi fellis imbecillitatem ad ſe bilem trahere non valentis, quod impurus ſanguis vagetur per vniuerſum corpus, qui folliculus ſic impletur, vt euacuari non poſſit; aut quia obſtructus eſt, aut quia facultas ſecretoria eſt imbecillior.

C Excrementa carnium nuper mactatarum ablutioni ſimilia, communia ſunt hepatitidi; ſeu imbecillo hepati, & inflammationi eiuſdem. Noſcuntur ex inflammatione fieri ſi pulſus ſit durus, febris vehemens, calor & ſitis intenſa. Ex imbecillitate verò ſi pulſus ſit languidus, fe-

bris ardor, & ſitis non æquè intenſa. Hæc ratione morbum ſiculi medici ſe nouiſſe gloriatur Galenus qui inflammatione hepatis laborabat, idque ex grauitate partis dolore lateris dextri pleuritidem ementiente, & iuguli ad inferiora retractione, ſed præcipuè pulſus ipſius duritie.

A Tenue & ſanioſum excrementum infirmi Iecinoris ſanguinem creare non potentis indicium eſt, Nigrum verò & feci ſimile ſuperaſſantis ſanguinem hepatis.

B Quod ſi in inteſtina labatur dyſſenteriam facit hepaticam. Si verò ab hepate ad emulgentes, & ab ipſis per vreteras ad Veſiccam fluat, Vrinas loturæ carnium ſimiles redit æger. Quod quidem mulieri hydrope inchoata laboranti hac in Vrbe contigiſſe vidi quæ ſanata eſt.

C Virtus autem ſanguifica quæ in alteratrice naturali conſiſtit, imbecilla redditur, ob retenta menſtrua, aut ob ſuppeſſum exercitium: vt in morbis longis, in quibus prohibe-

tur διαδόσις, ſeu alimenti diſtributio vnde grauata natura ſiue facultas portionem ſanguificationis imminutæ ad emiſſoria exonerat.

De locis Affectis. lib. 6.

De Affectib. lienis. cap. 1.

Ob Refrigeratum vna cum tu-
A more lienem vt pote ſi ad ſit ſchyrrus, aqua inter cutem euenire conſueuit, cæterum niſi ad hepar reffrigeratio ipſa contigerit, aqua inter cutem ſubſequi poteſt minime. Intellige de hydrope iam facto & perfecto, non vero de Inchoata & in fieri, qui interdum à cauſa calida calorem natiuum reſoluente oritur.

De Ventric. & inteſtin. Affect. cap. 2.

Cum abraſſiones inteſtinorum
B ſolæ excernuntur, conſiderandum eſt, num pingue quippiam cum eis excernatur, ita enim vlcus in craſſis inteſtinis conſiſtere iudican-

dum eſt. Vbi verò cruorem quoque excerni videris, intueri oportet, vtrum is reliquis excrementis ita ſit ammixtus, vt vniuerſus vniuerſis miſceatur, an pars eius aliqua reliquis ſupernatet, etenim ſi ammixtus ſit in ſupperioribus, ſi ſupernatet in humilioribus vlcus eſſe portendit.

Quod ſi vlcus ſit in ſuperioribus inteſtinis, ab epotis medicamentis auxilium petendum, ſi in humilioribus hæreat clyſterem ſubiicere magis conuenit. *A*

Dyſſenteriæ hepaticæ noſcuntur, quod ab initio tenuis ſanies ſanguinis ab hepate deiicitur; deinde aucto malo craſſus humor fæcibus vini haud abſimilis; præterea in hepaticis excretionibus nihil abraſum expellitur. *B*

Vlcera quæ in recto inteſtino oriuntur, teneſmum vocant. Hoc in affectu ægri vehementi tenſione & prompta deiiciendi cupiditate tenentur paucis admodum ſequentibus excrementis, quæ quidem ab initio pituitoſa & pinguia progreſſu *C*

verò temporis etiam ramenti ſpecies deiiciuntur.

A Dolor ille acerbiſſimus quem Ileon, Voluulum, & Cordapſon vocant ſublimiores inteſtinorum partes infeſtat, adeoque impellit ad vomitum, vt nonnulli ſtercus per os reddentes miſerrima tandem morte moriantur; à quo affectu vix vnquam aliquis euadere potuit; itaque non abs re viſum eſt medicis antiquioribus vel ab inflammatione vel ab obſtructione aridi ſtercoris hunc affectum oriri.

De Vteri Affectibus. cap. 5.

B In confeſſo eſt ſpirationem à vita, & vitam aſpiratione ſeparari non poſſe; ita vt viuentem non ſpirare, & ſpirantem non viuere ſit impoſſibile. Quod ſi in animalibus quæ in latebris deliteſcunt nulla appareat reſpirationis nota, exiguus ille calor in eis derelictus, arteriarum, cordiſque motu ſeruatur: quæ actio à quibuſdam medicis tranſpiratio dicitur. Simile quippiam accidit

pereunte ob vteri affectum ſpiratione, quoniam vniuerſum corpus refrigeratur.

Dum deſcendit ſanguis ad vterum nec ingredi ipſius capacitatem poteſt aut quia craſſior eſt quam vt vaſorum ora permeare poſſit, aut quia clauſa ſunt orificia, multiplicatus in venis eas extendit, & vicina ipſius vincula madefacit, ad quorum omnium tenſionem vterus retrahitur. Non ergo veluti animal errabundum alias ad alium locum diſcurrit in mulieribus vterus, ſed ad extenſione retrahitur. *A*

Peruerſiones vteri ad ſuppreſſa ſequuntur menſtrua, quæ verò citra menſtruorum retentionem aut peruerſiones viduas moleſtant, affectiones hæ ob retentum ſemen euenire putantur. *B*

Seminis autem retentio multò maiora quam menſtruorum proffert ſymptomata, nam Venenatorũ animalium ictum malignitate adæquat. *C*

Pro quantitate menſtruorum retentorum & ſeminis retenti, vel *D*

eorum qualitate, variæ accidentium ſpecies emergunt; Nam ſi maligna & noxia materia fuerit, adeo refſfrigeratur vniuerſum corpus, vt reſpiratio & pulſus ſenſu depræhendi non poſſint. Si vero craſſa vel acris materia fuerit, conuulſiones, ſi calida & ſicca, marcores & vigilias; ſi atræ bilis naturam refferat, mæſtitias & languores inducit, animi deliquia, & oris quoque Ventriculi affectus. Si enim phalangij & ſcorpionis ictus grauiſſima breui afferunt ſymptomata, quid ni humor corruptus & veneuatus intra vteri cauitatem retentus, talia immo maiora ſymptomata producet. Tunc enim temporis non formam ſemini ſed Veneni induit, & ideo foras peſſis & ſimilibus aliis ex Caſuiſtarum plurium opinione hac in extremitate poteſt educi.

A. Prægnantes cum ora Venarum quæ in ceruice vteri ſunt aperiuntur, excernunt ſanguinem.

De Locis Affectib. cap. vlt.

Gonorrhæa eſt affectus inſtrumentorum ſeminis vel potius eſt imbecillitas vaſorum ſpermaticorum ſemen retinere non valentium. A

Quid in rerum natura admirabilius poteſt contingere quam quod nouem perpetuis menſibus claudatur os vteri adeo exactè vt ne ſpecilli quidem mucronem admittat. Perfecto vero fœtu vſque adeo diſtendatur, vt totum animal per ipſum egredi poſſit. B

Ignauia corpus exoluit, proprij autem officij exercitatio robur augere ſolet. C

De Different. Febr. lib. 1. Cap. I.

Differentiæ Febrium à caloris ſubiecto deſumuntur, nam vel incaleſcit ipſius cordis corpus, vel qui continentur in Ventriculis eius humores. Aut ſola quidem aërea ſpiritaliſque ſubſtantia ſufficienter D

incaluit, humores autem & ſolida corpora incaleſcunt, adhuc autem non ſunt calefacta.

A Omnis ſubſtantia tenuis promptius alteratur quam craſſa.

Cap. I I.

B Non tutum eſt cum iis qui tabe correpti ſunt conuerſari, neque cum iis qui ſpiritum putrem reddunt.

Cap. I I I.

C Vbi in corde caliditas quædam præter naturam generatur, febris accenditur.

D Promptiſſimè putreſcunt omnia calida & humida in calidis locis contenta, niſi difflari ipſa & reffrigerari contigerit.

Cap. I V.

E Peſtilentis Febris, inſpiratio aëris Venenati ac putridi maximè eſſe in cauſa videtur. Fit etiam aliquando

ob eos qui ſunt in corpore humores ad putreſcendum paratos, cum exiguam aliquam occaſionem ab ambiente aëre acceperit animal.

Aëris autem putredo accidit, vel ob cadauerum multitudinem minime crematorum vel ob lacuum & paludum æſtiuo tempore euaporationem. *A*

Nulla Cauſa ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioquin ex æquo omnes afficerentur ab eadem cauſa. *B*

Cap. V.

Quæ tumoribus inguinis ſuperueniunt febres, omnes authore hypp. pernicioſæ præter ephemeras. *C*

Cap. VI.

In abſceſſibus integre ſuperante natura, pus optimum fit album, leue, & minime fætidum. *D*

Vrina quæ ex putreſcente humore perficitur & quæ concoctione *E*

à continenti vaſeſuſcipiat, optim
eſt, quæ albam, leuem, æqualem, &
minimè fætidam habet hypoſta
ſim.

Cap. VII.

A Primum & proprium non tame
inſeparabile ſignum putridarum fe
brium eſt, quod nulla procatharti
ca cauſa eas anteceſſerit; id quo
neutri aliorum generũ ineſt. Quan
doquidem ephemeræ omnes oriun
B tur à procatharticis hecticæ ver
quando ſine procatharticis gignun
tur, minime ab initio inuadunt.

C Vbi quis citra manifeſtam præin
cipientem que cauſam cœpit febri
re, ſcire oportet, eius febris cau
ſam in humoribus eſſe.

Febrem à rigore initium ſumen
D ſine cauſa externa putridarum fe
brium eſt proprium ſignum non ta
men inſeparabile; ſiquidem no
a ineſt omnibus putridis rigor, nequ
horror.

E Exacerbationes & pulſuum com
preſſiones putridarum febrium pro
pria ſigna.

Maximum putridarum febrium ſignum eſt mordacitas & acrimonia caloris, quæ perinde ac fumus nares & oculos, ſic ipſa erodere tactum videtur. A

Proprium & inſeparabile putridarum ſignum eſt velocitas ſyſtoles, quæ manifeſtius quidem in augmento febrium, non obſcurè autem in principio & augmento fit. B

Maximum etiam putridarum febrium ſignum eſt vrinæ cruditas. C

Pulſus durities à tribus fit, primò à ſiccitate quam pariunt febres hecticæ, diuturnum alui profluuium, curæ, vigiliæ, inediæ, & ſimilia. Secundò ab inflammatione vt phlegmone, Eryſipelate, ſchyrro, &c. Tertiò à crudis humoribus quos praua edulia, fructus immaturi & præcoces producunt, à quibus frigidi flatulentique ſpiritus ad cor eleuati, & ab ipſo in arterias transfuſi ipſas tendunt & indurant, (qui quidem pulſus virginibus pallido colore detentis frequentiſſimus eſt) hi autem ſucci prout concoquntur pulſum mollem humidumque effi- D

ciunt. Docente Gal. lib. etiam primo ad glauc. & Zacut. Luſit. de medic. princ. hiſtoria lib. 4. hiſtor. de tertiana notha.

Cap. IX.

A Maximum & indubitatum heticæ febris indicium eſt, ſi cibum homini poſt ſuſpectas horas obtuleris; ſtatim enim vna aut altera hora poſt cibum exhibitum qui cumque febricitatem tetigerint, alteram febris acceſſionem opinabuntur adeſſe.

B Hecticis poſt cibum exhibitum quendam velut inconcuſſum inſultum fieri contingit; cum tamen non ſit acceſſio, ſed incrementum caloris, & promotio pulſus in magnitudinem & velocitatem, quæ tandiu perdurat donec appoſitus diſtributuſque cibus humectauerit cordis ariditatem poſtea vero corpus ad eundem ſtatum reuertitur in quo erat ante cibum exhibitum.

C Imbecillitas vehementem ſequitur intemperiem, durities verò ari-

ditatem. Intellige de imbecillitate accidentaria & qualitatiua quæ fit ab intemperie qualitatum: Non vero de imbecillitate habituali & in facto quæ accidit ſenibus & aliis quæ ſine intemperie qualitatum etiam exiſtit.

De Differentiis Febrium. lib. 2.
cap. 1.

Febres tertianæ magna ex parte corporibus natura bilioſis fiunt, ætate vigenti quæ omnium eſt bilioſiſſima, tempore æſtiuo, in quo is dominatur humor, in locis qui calidam & ſiccam intemperiem poſſident, in calida aëris ambientis conſtitutione, ac denique in homine qui laboribus, curis vigilis, tenui victus ratione calida & ſicca, ac denique medicaminum calefacientium immodico vſu fuerit commaceratus. A

Qui febre tertiana detinentur amaram euomunt bilem, aut per ventrem inferiorem, aut per ſudorem illam excernunt. B

Exquiſita tertiana duodecim ad ſummum horarũ interuallo finitur. C

A Febres intermittentes quæ nimirum ad integritatem deſinunt, ortum habent ab humore, qui per omnes corporis partes ſuo motu deffertur; at in continuis humor deliteſcit atque continetur in venis.

B Fernelius tamen & omnes neoterici cauſam materialem intermittentium in primis viis ſtabiliunt, in ventriculo, & caua Iecoris quæ ſæpè vomitu: Vel in venis mezenterij, pancræate, & inteſtinis, quæ deiectionibus vacuatur. Cum verò ad venas rapitur, quod ex vrinis rubris, febre, ſiti & vigiliis noſcitur, continuam producit, vel ſaltem ad continuam propè accedit, quo tempore Auicenna vult ſanguinem mittendum eſſe lib. 4. de febrib. ratione, ſcilicet, materiæ quæ ad venas ſecundum ſubtiliorem portionem rapta eſt. Quod euenit plerumque poſt tertiam acceſſionem & non ante.

C Sennertus lib. de febrib. vult nunquam mittendum eſſe ſanguinem in exquiſita tertiana ſed ſemper purgatione

gationecurandam eſſe. Quia, inquit, materia peccans cum ſit in primis viis, ſanguinis miſſione non tollitur, ſed purgatione. Affert authoritatem fernel. qui lib. de febr. cap. de tertiana, aſſerit ſe inueniſſe bilis libræ pondo circa cauam iecoris, in cadauere, à febre tertiana.

Cap. I I.

Continuarum quæ ex flaua bile proueniunt duplex ſpecies habetur, vna earum quæ appellantur ſynochi, quarum vniuerſum tempus vnica acceſſio exiſtit à principio vſque ad finem extenſa, altera earum quæ pluribus circuitibus continentur. *A*

Synocharum tres ſunt differentiæ prima homotonos, agmaſticaque, ſecunda epagmaſtica, tertia paragmaſtica. Hoc eſt æqualis, vel accreſcens, vel decreſcens. Et cap. X. ait humores in venacaua putreſcentes has febres generare. *B*

Cap. V.

A Pro multitudine & qualitate humoris, vigore vel imbecillitate potentiæ, nec non ipſius ægri diſpoſitione ſolet per omnes febres longitudo acceſſionum variari. Vid. cap. 10. quo plura &c.

Cap. VI.

Quatuor ſunt pituitæ ſpecies, prima
B vocatur vitrea, vitro fuſo ſimilis frigidiſſima eſt & dolores acerbiſſimos parit. Secunda dulcis, quæ cum ſenſibili dulcedine expuitur, qua putreſcente rigor non aduenit. Tertia acida, quæ expuendo talis guſtu ſentitur, & iſta ſimul cum vitrea dum per partes ſenſiles deffertur non putrefacta rigorem citra febrem inducit: quod ſi putreſcat febrem hepialam gignit. Quarta ſpecies eſt ſalſa, vel ob putrefactionem vel ob ſeroſæ humiditatis mixtionem, & hæc horrorem, non rigorem parit.

Cap. VII.

Ex quotidiana continua & tertiana intermittente hæmitritei natura conſtat. Hanc autem febrem neque vtraque continua, neque vtraque intermittens efficere poteſt. A

Cap. IX.

Si ſanguis ſupra modum aſſetur, B
pars ſubtilior & pinguior in bilem flauam, craſſior autem in atram conuertitur. Quod in carbunculis videre licet. Igitur pro varietate humorum febres fient ſola bonitate, vel malitia differentes.

Quod tangenti manui calor mo- C
leſtus ſentiatur, id prouenit ex humoris acredine. Nam calores moleſti atque rodentes vtramque bilem conſequuntur. Inæqualitas caloris à tenacitate & craſſiti è pituitæ oritur, quæ quotidianam facit.

Cap. X.

A Quo plura tenaciora, frigidiora & craſſiora excrementa ſunt eo longiores acceſſiones efficiunt. Quò pauciora, tenuiora, eo breuiores, præterea rarior corporis habitus vel denſior, facultatum robur vel imbecillitas, longas vel breues efficiunt acceſſiones.

B Quatuor ſunt naturales potentiæ attractrix, retentrix, alteratrix, & expultrix in omnibus corporis partibus. Et in tribus coctionibus chyloſi, hæmaroſi, homioſi manifeſtatur.

C Duplex eſt in omnibus rebus alienum, alterum quantitate, & alterum qualitate. Aceruatur autem alienum ob potentiarum imbecillitatem vel robur.

D Fluxionis cauſa quæ ex parte laborante originem trahit duplex eſt; altera in ipſa accenſa caliditas, altera excitatus dolor.

E Solet excrementum ab aliis in alias partes transfluere fortioribus ſemper à ſe pellentibus, & ab imbecillis id recipi.

Facultas expultrix tunc excitatur ad opus,quando aut multitudine ſuperfluitatum grauatur, aut qualitate pungitur. A

Cæterum cum in parte adhuc remaneat affectus,neceſſum eſt in ipſa aliam denuò gigni ſuperfluitatem, cum nimirum id quod ad ipſum trahitur alimentum non conficiatur exquiſitè vniuerſum; quæ quidem ſuperfluitas rurſus à putridis excrementis in parte relictis, nec non proprio ex vitio initium putredinis ſuſcipit, cumque ſatis caluerit, rurſus ad ipſam influit quemadmodum anteà ex reliquis animalis partibus ſanguis, ac ſic rurſus eodem modo, principium, augmentum, ſtatus, & declinatio alterius fit acceſſionis. B

Impoſſibile eſt ſolui remanentem febris diſpoſitionem niſi vniuerſum corpus excrementis vacuatum ſit,ac multo magis ſi his accedat omnium aſtrictio meatuum per quos excrementa morbi excernantur. C

Quæcumque febres per circuitus acceſſionum fiunt, ex membrorũ diſpoſitionibus ortum habent, quæ D

vel mittunt, vel recipiunt, vel generant ſuperfluitates: at quæ circuitum non habent, nulla eſt in his corporibus pars quæ præcipuè ſit offenſa; qui verò humores in venis vel in arteriis maximis continentur; vel ob inflammationem & ephemeras producunt, vel ob putrefactionem & ſynochas producunt quæ tamdiu perdurant, donec humores ipſas gignentes aut conſumantur

A penitus, aut vtrumque patiantur.

Pro mutatione humorum, acceſſionum circuitus tranſmutantur.

De Maraſmo ſeu Tabe.

B Maraſmus eſt viuentis corporis interitus præ ſiccitate, Tabes autem dicitur dupliciter cum aliquid iam tabuit, vel cum tabeſcit, illa confirmata, hæc inchoata dicitur.

C Neceſſum eſt vt in tabidis ipſius cordis corpus areſcat.

D Tres ſunt generaliſſimæ febrium differentiæ, ſcilicet, diariæ, humorales, & hecticæ.

E Vt hecticorum ſolida ſubſtantia refficiatur, nihil mihi videtur lacte

præſtantius, præcipuè ſi quis appræhenſa muliebri mamma lactet, quod ſi id fieri nequeat, bibat ſaltem lac aſininum cum adhuc calet, quod breuiſſimo tempore aëri expoſitum ſit; quæ quidem alimentorum ratio tribus marcoris ſpeciebus conuenit.

Opportunus etiam balnei vſus hecticis eſt vel etiam ad alimentorum diſtributionem, quod tamen adminiſtrandum eſt, vbi cibus concoctus fuerit, nec longa inedia præceſſerit. *A*

Mel vt frigidis affectibus prodeſt, ita calidioribus ſummopere obeſt. *B*

De Typis.

Numerus horarum periodicarum qui inter duas acceſſiones eſt medius ſic eſt conſiderandus. Quotidiana typum ſortitur horarum viginti quatuor; tertiana quadraginta octo; quartana ſeptuaginta duarum; quintana nonaginta ſex; quo ſimiliter pacto cæteri numeri perficiuntur. *C*

De Arte Medicinali. Cap. 2.

A Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, nomen autem ſcientiæ communiter, non propriè accipere oportet.

Cap. XI.

B Paruum caput vitioſæ conſtitutionis cerebri proprium indicium eſt, magnum verò non neceſſario bonum; ſed ſi ob infitæ virtutis robur eueniat quæ multam ac optimam materiam efformarit.

C Dolor quemcumque obſederit locum aut ſolutam continuitatem, aut ſubitam alterationem indicat, ſoluitur autem continuitas vel inciſione, vel exeſione, vel fractione, vel tenſione. Alteratur verò ſubſtantia à caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate.

Cap. 76.

D Actio læditur tripliciter, immi-

nutè, deprauatè, & abolitè.

Cap. 80.

Optima natura quantum appetit, tantum concoquit. Sic & ſomno modum natura præfinit, iis qui optimam corporis conſtitutionem ſortiuntur, nam hi tum ſomno excitantur, cum corpus ampliori ſomno non eget. *A*

Cap. 86.

Curatio in morbo duplici duplicem exigit intenſionem, nam continuitatis ſolutio vnitate, ſubſtantiæ iactura generatione indiget. *B*

Quando aliqua inflammatio, vel attritio, vel ſchyrrus, vel tumor mollis & laxus, vel intemperies vna cum vlcere adeſt; prius eorum curationi inſiſtendum, quam ipſum vlcus curare tentaueris. *C*

Cap. 94.

Promptius euacuatur per ven- *D*

trem quæcumque continentur in primis viis ſuperfluitates; quæ in hepate ſunt per vrinæ meatus; quæ in toto corpore per ſudores: ſicuti quæ in capite per palatum & nares; quæ in pectore per ſputa; quæ in renibus & veſica per vrinam eiiciuntur.

A Reuulſio ab omnibus partibus fit ad quam maximè diſtantia loca; deriuatio verò ad vicina.

Method. Medend. lib. 1.

B Veteres illi medici ab Æſculapio oriundi tanquam duces militibus & reges ſubditis imperari ægris conſueuerunt: iam verò non is qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius nouit is in pretio eſt: huic plana peruiaque ſunt omnia, huic ædium fores patent, hic breui efficitur diues, huic ſerui à cubiculis dantur. &c.

C Totum corpus eſt σύμπνουν καὶ σύρρουν hoc eſt conſpirabile & confluxile.

D Omnem venarum plenitudinem arteriarum motus oſtendit, ob mu-

tuam vaſorum confluentiam. Repetit lib. 4. de dignoſc. pulſib. & lib. de cauſis pulſuum.

Method. Medend. lib. 2.

Nullus affectus moibus dicitur, niſi alicuius partis actionem vitiet, hunc ſi quis ſequitur ſymptoma; quod illum excitat cauſa. *A*

Prima remediorum inuentio eſt cognitio morbi, cognoſcitur autem per præteritorum inueſtigationem, & præſentium cognitionem vt docet lib. de præcogn. & quarto de præſag. ex pulſ. *B*

Methodus eſt vniuerſalis ordo ſeu via, quæ omnium particularium eſt communis. *C*

Method. Medend. lib. 3.

Oleum cauo vulneri infuſum aduerſiſſimum omnium medicamentum eſt, quippe ſi in ipſum iniicias ſordidum, fætidumque efficies. *D*

Scire oportet generandæ carnis materiam ſanguinem bonum exiſte- *E*

re; opificem verò authoremque naturam illius corporis cui caro ſuperinduci debet.

A Duæ ſunt differentiæ primarum indicationum; vna quæ ſecundum naturam ſe habet, cuſtodiam ſui indicat, & ideo quæ ſibi ſimilia ſunt poſtulat. Altera quæ præter naturam eſt ſublationem ſui per contraria requirit.

B Vinum omnis vlceris qua vlcus eſt, optimum medicamen exiſtit.

C Omne vlcus ſimplex tum ſiccari tum aſtringi debet, non autem detergi. Quod verò cauum, & ſordidum eſt, ſiccari poſtulat & abſtergi, non verò aſtringi.

D Ordo curandi vlceris à ſorde expurganda orietur, cum nec glutinari quidquam, nec carne impleri poſſit, priuſquam purum fuerit. Secundò cauitas impleri debet, tertiò cicatrix obduci. Quod ſi vna cum illis vel phlegmone, vel Eriſipelas, vel gangræna, vel intemperies aliqua ſimplex vel compoſita partem infeſtet. Niſi prius ipſam

ſanaris vlcus implere carne non poteris.

Carnis ſiquidem generatio ex ſubiecta ſana carne ortum ducit, ex intemperata verò & quam premit phlegmone gigni caro bona non poteſt. A

*A*ffectus vnde primum maximeque imminet homini periculum primus ſanari debet, interdum non modo primus, verum etiam ſolus. B

Cui vlceri non eſt effluxus, huic quendam moliamur oportet, eius duplex ratio eſt, alias tota cauitate diſſecta, alias in fundo tantum aperta. Quod ſi loca periculoſam ſectionem faciunt, & vlcus magnum fuerit, aperire in fundo magis conuenit: ſin contra paruum ſit vlcus, locus periculoſus non ſit, totam cauitatem præſcindere oportet, incipiat quidem ſuperne, ſed finiatur infra, vbi ſcilicet patet effluxus. C

Method. Medend. lib. 4.

Cnm labra vlceris decolorata, duraue pluſculum fuerit, excidenda ea D

ſunt ad ſanam vſque carnem; nam aliquando labra dura & calloſa vlcus ſanare prohibent. Interdum intemperies ſimplex vel compoſita, vel aliquod lienis vel iecinoris vitium vel partis imbecillitas quæ ab intemperie oritur, vel cacochymia totius vel plethora, quæ omnia prius adimere oportet priuſquam ipſum vlcus ſanare poſſimus.

A Vlcerum ſanandorum ratio in ſiccando tota poſita eſt, modo vitioſus ſuccus ad partem non influat, qui prius per reuulſionem ad contraria ſiſtendus eſt.

B Vulnera quæ in articulis accipiuntur cacoethica, ibi enim ſunt tendines & nerui loca oſſea & carne vacua, quæ doloris, vigiliarum, & conuulſionis periculum afferunt.

C Magna vlcera ſuturis, vel ligaturis ſunt coniungenda.

D Quæ vlcera omnibus ritè decenterque factis non curantur, ea medici cacoethe, hoc eſt maligna, contumacia, rebelliaque nuncupant.

E Diuturnitas vlceris, vitioſi ſucci

ſignum eſt. Inuentio autem eius quod expendit, non ex diuturnitate, ſed ex ſucci vitio ſuggeritur.

Caro contuſa & cæſa celerrimè ſuppurari debet, neceſſum eſt enim carnes contuſas putrefieri, poſtea nouam carnem produci. *A*

Si valens aliquis morbus vnà cum virium robore affligat, vel ſi redundantis ſanguinis concurſus non ſit, nemo eſt qui non ſanguinem detrahat qui vtique in artis operibus fuerit exercitatus. Quippe ſanguinis redundantia haud quaquam ſanguinem eſſe mittendum imperat; ſed magnitudo morbi vna cum virtute vegeta. *B*

Morbi omnes; vitiaque omnia triffariam grauia validaque redduntur, vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, & ſymptomatum vehementiam; vel propterea quod ſint cacoëthe. *C*

Si quis etiamnum ſanus nec adhuc quidquam læſus ſanguinis redundantia grauetur; non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe: ſed *D*

aliis ſatisfacit inedia, aliis exercitatio, vel multa frictio abunde fuit. Sic nec purgatio in vitioſi ſucci abundantia conuenienter adminiſtratur, niſi magnitudo morbi ſit ipſi cacochymiæ coniuncta præſens vel imminens.

A Multos Romæ vidi in Xenodochio ſanctiſſimi ſaluatoris vulgò ſancti Ioannis Laterani per annos quatuor quibus ſum commoratus, qui cum cacochymi eſſent, licet purgationem mediocrem & ſucco redundanti conuenientem etiamnũ ſani acciperent: ab emotione medicamenti in febrem incidiſſe, & ex hac obiiſſe. Ideò niſi ſit magnitudo morbi cacochymiæ coniuncta præſens vel imminens, inſtitui non debet purgatio, nec miſſio ſanguinis, ſed ſæpe inedia, exercitatio vel frictio ſufficit.

B Omni recens facto vulneri niſi in ventre conſiſtat, plus minuſue ſanguinem effluere eſt neceſſe. Nam ex hyp. in aph. ſi ex vulnere recens facto ſanguis non effluat, magnũ malum quia in partibus internis extra-

naſatum eſſe ſanguinem ſignificat, vbi phlegmonem producit.

Debet imitator eſſe medicus non tantùm naturæ, ſed eorum etiam quæ cum ſua ſponte eueniant, conferunt. *Repetit comm. 2. aph. & 24. ſect. 1.* A

Method. Medend. lib. 5.

Deriuatio ad vicina loca fit, vnde quod per palatum vacuatur, deriuatur per nares. B

Reuulſio fit ad contraria, & ad partem oppoſitam; vel ab intus ad extra, vel ad partes longinquas. Mulieri enim ſanguinem euomenti menſes ſuperuenientes remedio ſunt. C

Si menſes confertim eruperint, vel ſanguis ab vtero quoquomodo proffluxerit, ſurſum reuelles cucurbitulam magnam ſuffigens mammis. D

Si ex dextra nare proffluat ſanguis, eum retinet maxima cucurbitula hepati admota, ſi ex ſiniſtra, lieni; quemadmodum ſi per vtramque fluat vtrique viſceri E

applicandæ ſunt. Quod ſi reſolutus adhuc æger non ſit, etiam vena ex eodem cubito incidenda eſt quæ profuſioni è directo reſpondet. Cæterum vbi paulum detraxeris, mox horam vnam intermittens rurſum detrahes, poſt iterum atque iterum pro laborantis viribus.

A Tres ſunt reuulſionis ſpecies, prima, quæ ſupra ſunt deorſum aguntur, quæ ſunt infra ſurſum. Secunda quæ à dextris ad ſiniſtra fiunt; Tertia quæ intus habentur ad ea quæ ſunt foris, contraque ab his ad illa. Ergò & vincula arctiora, & frictio partis oppoſitæ reuulſionis remedia habeantur.

B Optimum omnium quæ noui medicamentum quod ad venarum & arteriarum hæmorrhagias pertinet, tale eſt. ℞ thuris partem vnam, aloes partem ſemis, miſce, & cum oui candido vt perueniat ad craſſitudinem mellis, poſtea vero pilis leporis molliſſimis excepta tum vaſi tum vniuerſo vlceri liberaliter admoueantur; alligandum autem eſt forinſecus tenui linteo, cuius primi

quatuor quinqueue amplexus ipſi profluenti vaſi injicientur, ducenturque mox verſus eius radicem niſi in quibus partibus id non licet vt in cerebri inuolucris, neque id niſi tertio die ſolueris.

Vena & arteria obſtruuntur extrinſecus vel intrinſecus; intrinſecus quidem à concreto ſanguine, extrinſecus tum ab hoc ipſo, tum à linamentis & ſpongiis & cruſtis, & medicamentis quæ lentitia, craſſitieque ſua meatus obſerent, tum corporibus quæ ſuperiacent propius admotis, & per 5. aut 6. horas non ablatis; poſteà verò vas apertum panno in orbem redacto oppiletur, nec niſi tertio die ſolueris. Hoc vltimum in Aneuriſmis melius ceſſiſſe probauimus. *A*

Modus arterias apertas oppilandi.

Primò vas apertum duobus aut tribus digitis tranſuerſis ſupra partem affectam oppilari debet, verſus dicti vaſis aperti radicem, ſupraque ipſum apponantur penicilli ſeu *B*

maximè aduerſatur. Tamen laboranti iniungendum eſt, vt nec reſpiret vehementer, & ſemper ſilentium agat. Præterea vena cubiti interna protinus incidenda eſt, à qua bis, terue, poſteà ſanguis eſt detrahendus vtique auertendi gratia, tum artus omnes fricandi vinciendique, his peractis primum poſca tum diluta, tum potui tepidè offerenda: quod ſi quis in viſcere cruor latitet ſolutus expuatur, atque hoc nihil vetat bis, terue, ternis horis facere; poſteà verò aliquid eorū quæ emplaſticam vim habent, & aſtringunt eſt exhibendū pauco admodū nutrimento adhibito Maximè vero ad rem pertinet, ſi poſtero die, modò æger robuſtus ſit, parum ſanguinis rurſus ab inciſa vena detrahas, pectore interim ſi æſtas ſit, melino & roſaceo madefacto, ſi hyems nardino.

Lac ad pulmonum vitia vnice commendatur, ſed præcipuè quod tabiis habetur, cum nimirū locus hic ſit ſatis editus, & aer circundatus ſiccus & paſcuum pecoribus ſalubre. Verum muliebre lac tabidis auxiliatur eximiè cum naturæ humanæ ſit A

admodum familiare. Hoc tamen de lactis vſu ſit maximum & commune præceptum vt adſtante animali ſtatim mulctum ebibant etiam melle iniecto, ſi cui cogi in ventriculo ſolet.

A Caue in phtyſi ne quidquam è capite in pulmonem deffluat.

B Splendidam Romanam catharro ſalſo detentam curaui cerato thapſiæ & ſtercore columbarum ſyncipiti applicito.

Method. Medendi. lib. 6.

C Vulnerati Nerui curatio medicamenta poſtulat quæ & tepidum calorem excitent, & valenter ſiccent, tum quæ ex ſubſtantiæ ſuæ natura, & attrahendi vim habeant, & tenuium ſint partium. Præſtat ergo oleo tenuium partium veteri & calido punctos neruos fouere & vt plurimum eos tranſuerſim & in totum præſcindere.

D Contuſi nerui cum cute cataplaſmate ex oxymelite & fabacea farina curantur; ſine verò cutis contu-

ſione, iis oleum calens & tenuium partium auxilio eſt.

A Quo tempore callus gignitur nutriendum corpus eſt cibis optimi ſucci & qui multum nutriant; ex quibus ſuccus prouenire conſueuit non ſolum bonus ſed etiam tenax qualis ad calli generationem deſideratur.

B Ipſa generatio carnis naturæ opus eſt; itaque ad eam rem opus non eſt arte medica.

C Sanguis ex vena vel arteria profluit, aut aperta, aut erroſa, aut rarefacta, aut rupta. Hoc eſt per ἀναστόμωσιν, διαίρεσιν, διαπήδησιν, vel ῥῆξιν. Hæc in lib. v. meth. tradita ſunt.

Method. Medend. lib. 7.

D Lac Nullam externam qualitatem odore, guſtuve præ ſe ferat, ſed eſto quam dulciſſimum, & ſibi ipſi continuum, & quoad lacti conuenit ſplendens ſuper omnia quoad eius fieri poteſt ſimiles partes habeto, vt autem tale fiat idoneis alimentis alendum animal eſt, mediocriter

exercendum, & pullus ſi quis lactat auferendus. Lac pthyſicis Aſininum poſt muliebre vtilius eſt, quod maximè detergat vlcus, citius diſtribuatur, minimè coaguletur.

A Porro omnium ciborum quos nouimus humidiſſima & magis nutriens caro ſuilla eſt, verum non concoctu facilis, prætereà glutinoſum ſuccum craſſumque generat.

B Intemperies ſiccæ vbi ſolida corpora contigerunt, nunquam integrè ſanabuntur, ſed in reliquam vitam particula affecta laborabit imbecillitate.

Method. Medend. lib. 8.

C Si plures affectus in vnum coëant, ad eum qui magis vrget dirigi primum curantis conſilium debet. *Hæc ſupr. lib.* 7.

D Grauiſſimè peccare mihi videntur, nihilque à carnificibus differre qui medici hominibus natura bilioſis tenuiſſimam per morbos victus rationẽ iniungunt, cum tamen acutiſſimis febribus corripiantur, à quibus

bus facilis eſt in hecticam tranſitus, quare his tum refrigerationem, tum aquæ potionem, atque adeo requiem & cibum largiorem congruere profitetur hyppocrates.

Cæterum Naturæ calidæ magnopere frigidæ potione iuuantur, neque in diaria febre quibus in vſu eſt ipſe eam circumcido. *A*

Niſi vitioſus ſuccus tranſpiret penitus, neceſſum eſt vt putreſcat, vt tranſpiret autem valido auxilio eſt opus; ac ſi puer aut ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet, inter has ætates vbi robur ægro non deeſt ſecanda vena eſt, vel ſi plenitudinis ſigna non ſint. Verendum quippe eſt ne ſi obſtructionibus liberandis priuſquam vacuaueris ſtudeas, ipſas multo magis impingas. *B*

Si os ventriculi imbecillius eſt tanta portione chyæ maſtices in nardino tunſa vnde ſordium craſſitudo exiſtat, purpuram ex eo madefactam imponemus. Reperit lib. de præcognitione, quam applicationem Antonio Imperatori ventriculo dolenti cum bono ſucceſſu applicuit. *C*

A Flatus ſanandi ſunt oleo in quo ſemina quæ flatus diſcutiunt incocta fuere, cuiuſmodi ſunt appij, cumini, ſinapi, & ſimilia.

Method. Medend. lib. 9.

B Quæ putreſcunt calida & humida eſſe debent, hinc fit vt in frigida ætate, & in frigido corporis temperamento continens non excitetur febris.

C Sanguinis diminutio continentium febrium eſt præſidium maximum ſi modo vires Valentes ſint vel ad animi vſque deliquium; primum namque in contrarium ſtatum vertitur corpus celerrime ex animi deffectu reffrigeratum.

D Iam vero eorum quos ex ſola obſtructione febricitantes mihi videre contigit, nemo in putredinis febrem incidit qui ſanguinem prius detraxiſſet; quem quidem vbi valida virtus ſubeſt, & ætas permittit, ad animi vſque deliquium mittere expedit.

E Vbi horum alterum non ſatis reſ-

pondet, tutius eſt quantum ſatis viſum fuerit, tantũ principio detrahere; quod deffuit iteratione ſupplere.

A Optimum eſt in ſynochis febribus non numero dierum, ſed vni virium robori attentum eſſe; quare non ſolum ſexto ſeptimoue, ſed etiam aliis ſequentibus diebus ſanguis eſt mittendus.

B Quod ſi æger, adſtantes, aut propinqui non permittunt vt ſecces venam, ad frigidam exhibendam accedes; maximè vbi concoctionis ſunt notæ, & nulla ſunt impedimenta vt plegmone, obſtructio, & cruditates.

C Maxima continentium febrium remedia hæc duo ſunt, detractio ſanguinis, & frigidæ potio, verum illa nullo non tempore modo vires ſuadeant; hæc cum & in pulſu & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ.

D Quod ſi præcedat ciborum cruditas tanto tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt ad inteſtina deſcendant videbitur.

A Non licet vnius ſcientiam nanciſci niſi methodum quandam habueris per vniuerſalia theoremata, & in particularibus te exerceas.

B Tres ſunt in corpore noſtro facultates, ſeu animæ corpus noſtrum gubernantes; prima naturalis, Iecur pro fonte habet, per venaſque illinc ſparſas per vniuerſum corpus id alit. Secunda vitalis fons caloris inſiti in corde reſidet; ab hoc per arterias in totum corpus diſſeminatur. Tertia, animalis ſeu ratiocinatrix in cerebro domicilium habet; ab hoc per neruos ſeu canales toti corpori motum & ſenſum largitur. Has autem facultates ſeruare nihil aliud eſt quam vitam cuſtodire; vna verò earum amiſſa neceſſum eſt cæteras quoque perire.

C Quod corruptum eſt alienum à natura cum ſit, id ſe auferendum dictat, vel vena inciſa vel purgatione: horum autem præſidiorum neutrum feret imbecilla facultas ſi quando cum corruptela coiuerit.

D Oportet igitur vbi indicationes ſibi ita aduerſantur, paulatim quod

vitioſum eſt vacuare, paulatimque quod ſalubre eſt in eius locum reponere, quam vacuationem medici Epicraſim nominant. Firmat hyp. aph. 51. ſect. 2. plurimum & repente vacuare, &c. Periculoſum: quoniam omne nimium naturæ inimicum.

Tres ſunt indicationes curandarum febrium. Morbus, morbi cauſa, & vires. *A*

Si quem curare ſtudes affectum, & æger imbecillitate laboret, viribus imbecillitate laborantibus nihil eorum quæ affectum ſanant eſt exhibendum, cum verò eo roboris perueniſſe videris vt æger poſſit ſufficere, tunc eſt ad curationis rationem accedendum. *cap.* 13. *repet. lib.* 12. *Method.* *B*

Method. Medendi. lib. 10.

Glutinoſi, craſſi, aut etiam copioſi ſucci vbi medioctiter obſtruxerunt, diariam febrem accendunt. *C*

Quicumque ex ira vigiliis, triſtitia, pertinaci ſtudio, cruditate vel D

bubone febricitant, his rarò adiuncta ſtipatio eſt quæ diutius perdurare ephemeram facit. Harum autem febrium nulla ſine hac ad ſecundam vſque acceſſionem perdurat: ſed intra viginti quatuor horas deſinit cum ſudore, madore, vel tranſpiratu quodam halituoſo.

A Calidas ſiccaſque corporis diſpoſitiones maximè à principio febris hectica corripit.

B In ſumma, illa duo ſunt tibi in omni ægro primo ſtatim die obſeruanda, morbi ſummus vigor, & ægri vires à quibus cibandi conſilia petas.

C Quoties ex laſſitudine, ira, curis, vigiliis vel triſtitia, vel longa media, vel vniuerſis vna coeuntibus ſiccatum corpus eſt; arida cutis redditur; & igneus calor effertur; hunc talem timor eſt hectica febre correptum iri.

D Acetum cum omnium poteſtate reſfrigerantium plane tenuiſſimarum ſit partium ſane ammixtam habet aliquam caliditatem.

E Continentis horroris cauſa mor-

dentium excrementorum, aut etiam crudorum humorum confertim actorum eſt citatior motus. Lib. verò 2. de ſympthom. cauſis ſic habet, horror debiliſſimus rigor eſt.

Vacuatio excrementorum omni febri vtiliſſima eſt, pari modo & rarefactio, & relaxatio. *A*

Qui hectica febre laborantes ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint demiſſi nihil iuvantur. *B*

Qui hectica febriunt illico omni ratione refrigerandi priuſquam in maraſmum perueniant. *C*

Omnis enim ſolidarum partium ſiccitas inſanabilis eſt. *D*

Vbi febris hectica iam traxerit dandum aſininum lac eſt, ſed diligenter obſeruato ne in ventre concreſcat, cauebitur autem ſi mel illi ammiſceas, aut ſalis quo veſcimur exiguum. *E*

Quod ſi corruptum in ventre lac fuerit pulſus paruos & inæquales inuenies; ſin autem non ſit corruptum, & maiores & valentiores quam pro conſuetudine. In principio autem dandus lactis aſinini non plus *F*

cyathus, poſteà ſenſim augendo, ſed inducta in cubiculum aſina, vt æger mulſum protinus bibat.

A Si quis hectica febre ſeruatus ſit, huic carnoſam tantum partem maraſmus occupauerat, at ipſis ſolidis reſiccatis fieri non poteſt, vt homo prorſus ſanetur. Itaque cum exitialis affectus hectica ſit, ne leniſſimum quidem errorem tolerat.

Method. Medend. lib. 11.

B Illa tantum corpora putreſcunt quæ calida humidaque natura ſunt, neque perflata, neque ventilata, & in calido humidoque loco incluſa.

C Si vires quæ corpus regunt valentes ſint, audacter vacuantibus remediis vteris; ſin infirmiores ſint redditæ vacuantia remedia cautius adminiſtrabis. Sic eſto de nutrimento.

D Nam viribus robuſtis & in ſummo morbi vigore tenuiſſimo victu vtendum eſt.

E Infirmioribus autem tantum ad nutrimenta oportet adiicere, quantam

eſt de virium robore detractum.

Putredo eſt mutatio totius putreſcentis corporis ad corruptelam à calido externo, nam quidquid in rebus ſubſiſtit, augetur, roboratur, ſanum eſt, ac viuit à calore natiuo. de diff. feb. 2. cap. 9. caloris, ait, natiui proprium eſt concoquere, alieni corrumpere. *A*

Maior pars medicamentorum vacuantium febrem augent vt pote facultate calida & ſicca: itaque deligenda medico ſunt, quæ citra calefactionem ſiccationemque valentem ipſas vacuationes moliantur nam. *B*

Nihil eſt tam proſſicuum quod aliqua ex parte non noceat. *C*

Si vires valentes ſint, ardentiſſima febris & concoctionis notæ plane euidentes frigidam intrepidè propinabis, maximè ſi æger optima ſit corporis habitudine, & cæli ſtatus calidus & ſiccus. *D*

Si quando in frigido ambiente vehementer vri ægrum contingat, exigua ſalutis eius habenda ſpes eſt. Si verò nec coctionis habeat ſigna, nec *E*

vires validas, ſeruari is plane non poteſt. Quo caſu nihil moliendum; in quo enim deſperata eſt ſalus imprudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia quæ multis fuere ſaluti.

A Si auxiliis quæ obſtructiones eximant vti non vacuata prius multitudine velimus non modo nihil proficiemus, ſed maiorem etiam reddemus affectum.

B Contrariorum contraria ſunt remedia, neque fieri poteſt vt eorum quæ præter naturam ſunt quidquam per vllam aliam remediorum ſpeciem curetur.

C Non eſt perpetuo tutum calefacere præcordia cataplaſmatis & perfuſionibus, ſed in iis tantum ægris quibus in toto corpore nullum errat ſuperfluum, cæteris omnibus extrema eſt pernicies, nam calore vitioſa excrementa ad partem affectam trahuntur.

Rondeletius lib. de *Ponderibus &*
D *menſuris* vult non eſſe appliccanda epithemata ægris robuſtis & in principio morbi; quia, inquit, febris in-

tenditur,& eorum odore vapores ad cor & cerebrum feruntur, & capitis dolorem producunt; maximè pleno corpore; quare hypp. aph. 28. ſect. 5. Omnia, inquit, odorata, vaporoſa. Ideo ſuffitus aromatum capitis facit grauitatem in mulieribus, quo caſu aliquot grana camphoræ ſunt ammiſcenda. Ægris verò debilibus & in fine ſtatus applicare licèt.

Saluberrimum eſt in omnibus febribus putridis ſanguinem mittere non ſynochis modò ſed in iis etiam quos putreſcens humor excitat, maximè vbi nec ætas, nec vires prohibent. Subleuata enim exonerataque natura eo quo velut ſarcina premitur, magis concoquit quod eſt concoquibile, & expellit quod debet expelli. *A*

Sane acetum non modo tenuium eſt partium ſed etiam non mediocrem reprimendi vim obtinet, quo in principiis affectuum vtimur roſaceo ammiſcentes. *B*

Method. Medend. lib. 12.

A Quandoque cogimur prius ſubmouere ſymptoma, quam morbum.

Interdum ſopientia colicis exhi-
B beo, & iis qui vel oculorum, vel aurium, vel aliarum partium vehementiſſimo dolore cruciantur. Interdum verò & cum æger ex tenui diſtillatione, vigiliis, & vehementi tuſſi vrgetur, pauxillum eiuſdem medicamenti offero. Omnia tamen id genus maximè ſalubria ſunt, ſi poſt annum à compoſitione ſumantur; veluti, quod ad philonem reffertur.

Hic nota medicum debere ſemper
C à pharmacopolis ætatem ſomniferorum petere, quia recentia, fortiora ſunt; vetera verò mitiora & minus ſomnifera. Idem dic de purgantibus diagrediatis, nam vetera minus purgant & ſunt calidiora; recentiora vero magis purgant, & non ſunt æque calida. Ætas quoque alterantium virtutem mutat, nam vnguen-

tum roſatum & butyrum, & theriaca recens, reſfrigerant: antiqua vero exſiccant, rancida ſunt acria, & vigilias pariunt.

Syncope eſt præceps virium lapſus, at eſſentia virium in ſpiritibus, & ſolidorum corporum temperamento conſiſtit. *A*

Si Adſit ſyncope omni medentis ſollicitudo ad ſymptoma vertetur; ſin expectetur vtriuſque curam habebit: & vt ſymptoma non incidat, & vt paulatim diſcutiatur morbus, qui citius diſcuteretur ſi nullius ſymptomatis ſubeſſet metus. *B*

Quinque ſunt quæ ſyncopas producunt, dolor vehemens, Vigiliæ immodicæ, ventris inanitio, motus in delirantibus, ac denique partium nobilium intemperantia nuda, vel cum humorum affluxu. *C*

Agreſtis quidam allio comeſto, meroque ad veſperam meraciori bibito à dolore colico fuit liberatus, neque id iniuria, allium quippe flatus diſcutit & ſitim non infert. Ego verò allium theriacem agreſtium appello, quos igitur ex ſupra dicta *D*

cauſa vehemens inteſtinorum dolor ſine febre exercet, iis & allium eſſe licet, & theriacem bibere. Quibus verò vna cum febre, primò fomenta ſicca, clyſteres & quæ ſequntur,

A Qui colico dolore à ſpiritu flatuoſo cruciantur, illico cucurbitula admota incantamenti ritu à dolore liberi & omnino ſani redduntur in quacumque corporis parte ſit excitatus dolor. Quibus verò non ſpiritus modo flatuoſus, ſed humor etiam dolorem excitat, iis illico ad tempus dolor ſedatur. Hoc autem ſedato ne amplius redeat, infundi per ſedem debet aliquod medicamen excalefaciens & attenuans.

B Ego verò oleo quopiam tenuis ſubſtantiæ vti aſſueui rutham in eo concoquens, quo iniecto nonnulli paulo poſt excernunt humorem vitreum, atque ex hoc protinus & à dolore & ab affectu liberantur.

C Conuulſiones quæ à plenitudine neruoſarum partium, vel ab humore mordente, vel ab ingenti frigore oriuntur, curari poſſunt. Quæ verò

ex Neruoſarum partium ariditate proueniunt, nullus certe iis ad ſanitatem eſt locus. Repetit lib. de tremore & palpitatione.

Method. Medend. lib. 13.

Longe à tentata fluxione parte reuellere nequaquam ad ipſam trahere oportet. *A*

Superuacanea ſemper à fortioribus partibus ad imbecilliores procumbunt. Hinc fit vt glanduloſa corpora omnium imbecillima cum ſint, facile fluxiones recipiant; tumoribuſque præter naturam quos bubones appellant, celeriter corripiantur. *B*

Si glandulæ ſchyrroſæ fiant curatu difficiles ſunt, & ſthrumæ dicuntur. *C*

Vt Iecinoris caua per aluum purgatur ſic gibba per ea quæ vrinas mouent, cuius generis appium exiſtit. *D*

Cum humor qui in capite redundat frigidus eſt, immobilitas, inſenſibilitaſque hominem opprimunt *E*

cum verò calidus perpetuus motus adeſt, vna cum actionis noxa.

A Accidit enim ſegnitia ex frigore, ex calore immodicus motus, ex humoris vitio dementia.

B Si arteriæ venæue quæ iuxta oculos ſunt, imbecilliores ſint redditæ, ita vt aliorum vaſorũ ſuperuacanea recipiant, aliqua earum parte exciſa, aut totis alte exciſis dura cicatrice intercipiemus. Repet. de curand. ratione per ſanguin. miſſ. ſub finem.

C Schyrroſis affectibus qui à glutinoſis & craſſis humoribus ortum habent, nullum vehementer excalefaciens ſiccanſue medicamen eſt aptum: nam quæ huiuſmodi ſunt, digerunt quidem ſubtilia; quod verò reliquum eſt multo magis impingunt. Qua ratione calculi gignuntur in renibus aſſo, videlicet, in his craſſo glutinoſoque ſucco.

D Schyrrus exquiſitus, eſt tumor durus & indolens, & inſanabilis. Non exquiſitus verò habet aliquem ſenſum obtuſum, ſed difficilem curationem admittit.

Althææ radix ſub cineribus cocta poſteà tuſa, & ſæuo anſerino aut ſuillo liquata ſalutare ad emolliendos ſchyrros medicamen exiſtit. Poſt cuius vſum tumore aliquantiſper emollito ad ammoniacum aceto liquatum & ad luti craſſitudinem redactum ipſi eſt imponendum; idque ſolum ei curando ſæpe fuit ſatis, ſicuti muſculis induratis modo per alia medicamenta fuerint emolliti. Oportet autem per interualla his duobus vti remediis alternatim. *A*

Nihil eſt tam proficuum quod aliqua ex parte non noceat, ſed ſemper aduertendum eſt, vt maius ex remediis oriatur beneficium quam maleficium, & minor noxa maiori vtilitate compenſetur. Repetit 11. meth. *B*

Method. Medend. lib. 14.

Priapiſmo laborantem adoleſcentẽ ſic curaui. Primum ſanguine miſſo, deinde cerato ex roſaceo ſimplici imbutoque aqua frigida pudendis ac lumbis impoſito. Huic etiam nym- *C*

phææ aliquid potandum exhibui. Quod ſi vitium traxerit, viticis ſemen, & ruthæ ſimiliter copiosè edendum.

A Communis cancri curatio humoris melancholici vacuatio eſt: mox prohibitio ne talis humor colligatur in venis particulæque ne amplius redundantem ſuccum recipiat corroboratio.

B Si quando cancrum per chyrurgiam curaſſe audebis, cæpiſſe quidem ab euacuando humore melancholico oportebit. Vbi verò quod vitioſum eſt totum prorſus excideris vt nulla ſuperſit radix; ſines effluere ſanguinem, nec properè eum inhibebis, imo premendo potius quæ circum ſunt venas exprimes ex his craſſiorem ſanguinem, mox aliis vlceribus ſimiliter curabis.

C Carbunculus incipit plerumque à puſtula, interdum verò & ſine hac. Puſtula verò cineris colorem reffert, modo etiam nigrior, qua rupta vlcus cum cruſta gignitur. Omnibus autem his circumpo-

ſita caro ad ſummam periti n-flammationem colore magis quam phlegmone nigricans. Quare ab inciſa vena auſpicanda curatio eſt, detrahenduſque ſanguis ad animi vſque deliquium niſi aliquid obſtet.

Scarificare autem huiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſſionem alienum non eſt. Sumpto autem inciſiones altiores mediocribus propter infeſtantis humoris craſſitudinem; inflammatione ceſſante vlcus ad cicatricem ſimiliter reliquis eſt perducendus. *A*

Strumæ ſeu cherades fiunt glandulis in ſchyrroſum affectum mutatis, quæ vel amputatione vel putrefactione curantur. *B*

Medici his tribus dare operam debent, vt citò, tutò, & iucundè curent. *C*

Carbunculus ex humore craſſo feruenteque naſcitur, incipit plerumque à puſtula, interdum vero ſine hac. *D*

De art. curat. ad glauc. lib. 1. *Cap. I.*

A Qui omnia quæ ſecundum naturam & præter naturam ſunt diuiſione artificioſa complexus fuerit; atque ab his quæ ſufficienter diuiſa erunt indicationes ſumpſerit: ſolus is quantum humanis permittitur viribus in medendo non errabit.

Cap. II.

B Maxima in omnibus febribus ſigna in pulſibus atque in vrinis conſiſtunt.

C Pulſus in nullius febris intermiſſione ad naturalem ſtatum reuertitur, præter quam in ephemeris.

Cap. VIII.

D Non licet nobis prænoſcere, & euentum morbi præſentire, niſi magnitudinem morbi atque virium acuratè expendamus. Etenim ſi vi-

res adeo validæ fuerint vt morbum poſſint euincere,neceſſum eſt ægrotum euadere, ſin contra morietur.

Cap. X I.

Quicumque in quartana febre ab A
initio, aut omnino ante ſtatum theriacam exhibuerunt,quartanam ſimplicem duplicem reddiderunt, aut ſaltem maiorem aut difficiliorem,ex duplici autem triplicem,aut omnino ambas difficiliores.

Cap. X I V.

Si febris fuerit cum alui profluuio, B
alia opus non eſt euacuatione , ſed hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro ratione plenitudinis. Et comm. lib. 4. acut. text. 116. ait,aluo fluente ſanguinem non detrahes;quicumque enim ſanguinem mittere vel pluſquam oporteat adimere neceſſarium putantes ægros in maiora pericula deduxerunt.

Si vehementes vigiliæ, aut dolor C
intenſus ægrum crucient, cauendæ

ſunt ſubitæ euacuatione ac multæ, maximè ſi ambientis aëris temperies calidior ſit vel frigidior, quæ miſſionem ſanguinis prohibeat.

A Si duo morbi aut duo contraria ſymptomata in vnum coeant; ad id quod magis vrget inſtandum nec interim alterum & negligendum.

B Quibus vterus ſurſum vel ad latus reuellitur inguinibus & coxis cucurbitulas applicamus; & narribus quidē quæ fœtidiſſimum odorem habent, matricibus verò quæ odoratum & ea quæ laxare calefacereque poſſunt, medicamenta offeremus. lib. verò X. de compoſit. medicam. ſecund. loca aſſerit vteri ſuffocationibus ʒ. I. agarici troch. cum vino potam bene prodeſſe.

C Tertiana nunquam fit ſine iecoris vitio; quotidiana, ſine noxa ventriculi; neque quartana, ſine læſione lienis.

D Difficilis tolerantia antecēdere omnem cryſim ſolet; quæ quidem ſi in die accidat, cryſis ſequetur noctu; ſin autem noctu, in die.

De arte curat. ad Glauc. lib. 2. *Cap. I.*

Si ſanguis influens calidus fuerit & craſſus, quodcumque membrum inuaſerit, hoc exurendo vlcus cum cruſta excitat; quidquid autem circumiacet, in inflammationem attollit efferueſcentem grauiterque dolentem, qui affectus carbo appellatur. *A*

Cap. II.

Vt recte quis vacuatione vtatur, debet exactè cognoſcere, quid & quantum vacuandum morbus poſtulet, & quid vires ferant. Cognoſcitur quid morbus poſtulet, ſi attendatur morbi natura: quantum, ſi cauſa morbi; Vnde, ſi focus, minera, & pars affecta, (nam indicatio ex poſitu loca per quæ ſit vacuandum & quo pacto demonſtrat) quid vires ferant, ſi cognoſcatur ætas laborantis, anni tempus, conſuetudo; habitus, & facultas; ex his namque quid *B*

& quantum vacuandum ſit, vnde & quomodò dignoſcitur.

A Indicatio ex poſitu loca per quæ ſit vacuandum & quo pacto demonſtrat.

B Fluentium intus humorum reuulſio medela eſt, Deriuatio vero eorum quæ iam obſederunt membrum, vtrumque autem vacuationis genus per communes venas moliendũ eſt.

C Si in parte dextra matricis affectus extiterit, à dextra manu vel crure ſanguis eſt detrahendus; ſi verò in ſiniſtra, à membro quod illi è directo eſt.

D Laborantibus conuexis hepatis partibus per vrinam trahere oportet, concauis autem per ſubductionem alui: thorax & pulmo per tuſſes; ventriculus ſeu ſtomachus, per vomitum; inteſtina per deiectiones; ſplen & renes per vrinas; matrix per menſtrua; cerebium per gargareonem nares, & aures,

Cap. IV.

E Exquiſitus ſchyrrus tumor eſt præter

ter haturam inſenſatus duruſque, non exquiſitus, non omnino inſenſibilis eſt, difficulter autem ſentit. porrò inſenſibilis ſchyrrus inſanabilis eſt; qui verò cum difficultate ſentit, nec omnino inſanabilis eſt, neque tamen facilem curationem admittit: fit autem ex humore craſſo & viſcido tenaciſſime partibus induratis infixo.

Medicamenta ſchyrris idonea ſunt adypes & medullæ. *A*

Cap. V.

Hepatis ſchyrrum initio quidem ſanauimus, inueteratum, neque ipſe potui ſanare, neque alium vidi qui poſſet, quippe omnes ita affectos aqua inter cutem ſubſequitur. Nec verò perfert hoc viſcus fortia medicamenta vt ſplen. *B*

Cap. IX.

Cum membrum ita mortuum eſt, vt nec punctionem, nec ſectionem, nec vſtionem ſentiat, ſtatim ipſum *C*

recidere oportet, qua vicinam ſanam partem attingit. Cæterum cum ſic affectum eſt denigratur; quod verò in medio conſiſtit vt ad mortem proficiſcatur, vocatur gangræna. Curatur autem euacuantibus nobis plurimum ſanguinem qui in patiente membro compingitur; cuius cauſa mortificationes accedunt; reliquo autem exhibentibus tranſpirationē, ſcilicet, cutim vniuerſam multis ſcarificationibus profundit diſſecans vnà cum ſubiecta ſubſtantia, vbi verò ſanguinem effluere permiſeris, imponendum aliquod medicamen ex iis quæ ad putreſcentia conducunt. Vid. poſt.

Cap. X.

A Cancrum per ſui initia ſæpe ſanauimus medicamentis quæ atram bilem educerent. Vbi verò in molem inſignem attollitur, curari ſine chyrurgia non poteſt; at ſcopus in huiuſmodi curatione eſt, totum qui circumſtat tumorem præter naturam qua partibus ſanis adhæret, abſcin-

dere. Ob vaſorum autem multitudinem præſertim ſi fuerint arteriæ, profluuij ſanguinis periculum imminet. Radices verò morbi exurere oportet; ipſi autem patienti particulæ ſuccus ſolani imponatur, vel medicamen ex pompholige.

Quando abſcindis partem gangrænatam ad maiorem ſecuritatem ſatius eſt ipſius mali radicem parti ſanæ coniunctam poſt ſectionem adurere. Nonnunquam ipſis affectis perticulis admouemus cautheria; interdum linamentum imponimus. Hæc. cap. 9. continentur. *A*

Vbi paſſio fuerit inueterata, tunc à patiente membro detrahimus. Hæc ſupra, cap. 2. *B*

De venæ ſection. aduer. Eraſiſtr.

Vna lactis & menſtruorum ſubſtantia eſt. *C*

Quæ mulier per mẽſtrua recte purgatur nec podagris, nec articulorum doloribus, nec pleuritude, nec peripneumonia, nec aliis à plenitudine morbis vexatur. Hæc ante hypp. protulerat aph. 29. ſect. 5. mulier poda- *D*

gra non laborat, niſi menſtrua deſfecerint.

De curand. ratione per ſang. miſſion.

A Duplex eſt plenitudo, vna ad vaſa, altera ad vires. Vtraque autem euacuatione indiget.

B Plenitudo ad vaſa eſt magna humorum colluuies ipſa vaſa tendentium.

C Plenitudo ad vires, quæ ſi vel minimè vaſa diſtendat, vires tamen grauat, hominemque reddit ad motiones pigrum: & hæc in putredinem facilè abit.

D Quod ſi ſimul ſit vlceroſus ſenſus maximè dum mouemur, ſignum eſt hunc affectum vitioſi ſucci eſſe ſobolem. *Repet. lib. 2. de loc. affect. cap. 2.*

E Si cor ſemel accenſum fuerit, facilè totum corpus excaleſit, qui affectus vocatur febris.

F Facultatum robur vel imbecillitas propriis indicatur functionibus, voluntariis, illius, quæ in neruis cerebroque conſiſtit. Pulſificis eius quæ in corde, ac per arterias mouetur;

nam ſecundum bonam nutritionem vel prauam tertia facultas nutrix, quæ à iecore proficiſcitur cognoſcenda venit.

Si extantibus plenitudinis ſignis valentes facultates extiterint; incides venam. *A*

Quod ſi degrauans plenitudo infeſtat, non ſemper ſanguinis molienda detractio eſt, nam fieri poteſt vt crudus per corpus collectus ſit humor a quo talis affectio gignatur; quem ſuccũ ſanguinis miſſione vacuare nõ expedit, ſed frictionibus vnctionibusque mediocriter excalefacientibus, nec non potionibus, cibiſque, & humoris craſſitiem incidentibus, & extenuantibus modicè. *B*

Intemperantes & vinolentos, ventrique & gulæ deditos ne curandos ſuſceperis, ſiquidem ob vitæ intemperantiam rurſus crudorum humorum copiam quam ocyſſimè colligunt, quare iis ne manum quidem admoueas. *C*

Non ſolum in plenitudine ſiue ad vaſa ſit, ſiue ad vires, ſanguinem mittes: ſed etiam citra plenitudinem ini- *D*

tio phlegmones, quæ aut propter ictum aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit; quippe dolor & partis imbecillitas ſanguinem ad ſe trahunt, & phlegmonem citra plenitudinem producunt.

A Principes ſcopi mittendi ſanguinis ſunt duo, nempe magnitudo morbi præſentis aut imminentis, & cum ea virium robur.

B Si magnum fore morbum timemus, aut præſens eſt, aut incipit, venam ſecabimus virium habita ratione, tantumque exemptis pueris; Nec verò vbi tanta crudorum humorum copia accumulata eſt, ſermo hic redarguitur, cum ipſis virium robur non adſit.

C Vbi crudi ſucci exuperant, antequam morbus inuaſerit cautè euacuabis: vbi verò corripuerit febris, nequaquam. Indicium autem crudorum humorum eſt color plumbeus, aut ex albo palleſcens, omniaque potius quam rubeus, tum inæqualis pulſus.

D Plenitudines à ſuppreſſis menſibus ortas omnino per crura euacuabis,

ſiue venam ſecare oporteat, ſiue ſcarifficare. Sectæ quippe in cubito venæ muliebrem purgationem reuellunt, ſanguinemque retrahunt ad ſupernas corporis partes. Quæ verò ex mulieribus albidiores ſunt aceruare tenuem ſanguinem ſolent: quocirca ſcarificationibus malleorum adhibitis maximè iuuantur. At nigriores vena ſecta curabis.

A Validam ſanguinis eruptionem venæ ſectio ſolet ſæpe compeſcere tanquam reuulſorium auxilium. Secare autem in cubito venam, ſi ex dextra nare profluat ſanguis ex dextro brachio conuenit; ſi ex ſiniſtra, in ſiniſtro. Minimè autem ad lapſum virium detrahendus eſt ſanguis. Simul autem cum agis artubus vincula, hyppocondrio directè ſuppoſito cucurbitulam admoueto. Quandoquidem erumpentem è naribus ſanguinem his remediis ſemper compeſcuimus.

B Hoc ſummum bonum in ſanguinis miſſione habetur, quod potes ſiſtere euacuationem dum opportunum videbitur; ac quoque ſi rur-

ſus ſit animus ſinere vt fluat, quouſque tibi videbitur ſe recte habere negotium. Id quod non licet in purgantis pharmaci exhibitione.

A Vbi feruеſcentis ineſt ſanguinis plenitudo acutiſſimam febrem accendens ſubitò ac ſimul vacuare expedit: eamque priuſquam ad partem aliquam nobilem ingruat inanire tentandum, vel ad animi vſque deliquium. Quare nec per noctem ſanguinem detrahere verearis.

B Si magnitudo morbi miſſionem ſanguinis poſtulat, adeſtque virium robur; nulla poteſt eſſe tanta humorum crudorum copia quæ inhibere id auxilium poſſit.

C Vehemens æqualis & magnus pulſus incorruptum virium robuſtarum eſt ſignum. Quare ſi in ſeptuagenariis is adſit, affectuſque iubeat etiam ſecabis venam.

D Proinde non annorum numero ſed corporis habitui animus eſt intendendus. Vena autem comprimenda dum pulſus alterantur.

E Secanda in pleuritide eſt vena interna, nec verearis multum detra-

here, donec ſanguis rubrior, aut flauior, aut pro eo liuidus appareat, vtrumque enim accidit. Eius ſiquidem tranſſumptionis qua non nihil ſanguinis extrauaſati rapitur in vulneratam venam conſtituit ſignum, ipſius ſanguinis mutatio.

In quibus iuxta ſectam venam phlegmone eſt ingens, optimum eſt ſanguinis & in colore & conſiſtentia expectare permutationem ; id quod ſentiens hypp. in curatione pleuritidis lib. de victus ratione in acutis, ait, nec verearis multum detrahere donec ſanguis rubrior aut flauior, aut pro puro & rubro liuidus fluxerit &c. vt ſupra. *A*

Magna remedia in acutis non differenda:ſoluitur enim temporis tractu virtus ; ac proinde mittendi ſanguinis occaſio numero dierum deperditur. Firmat hypp. aph. X. lib. 4. in morbis, inquit, acutis purgare eadem die oportet, tardare enim in talibus malum eſt. Nam occaſio præceps prim. ap. iuxta illud Catonis fronte capillata eſt, poſthac occaſio calua. *B*

A Sub cane & in regionibus & conſtitutionibus calidis, ſimul & in regionibus admodum frigidis, eſt à miſſione ſanguinis abſtinendum.

B Dextra nare ſanguis erumpens ad dextrum hyppocondrium fixa cucurbitula clare celeriterque ſiſtitur: ſicuti ad ſiniſtrum ſi ex ſiniſtra profluat. Itaque ſi venam reuulſionis ſtudio ſeces ſecundum rectitudinem oppoſitis ſanguinis eruptionibus citiſſimè conſpicuam vtilitatem afferes.

C Pleuriticis quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſſio clariſſimam ſæpe vtilitatem attulit. At quæ ex oppoſito, vel nullam vel certe obſcuram. Præſertim ſi non ſit in ipſo principio morbi celebrata.

D Oculorum ſæpe dolores grauiſſimos è directo venæ humoralis ſectio aut medianæ, intra horæ vnius ſpatium ſæpe compeſcuit. poſtea curat œconomum Ophtalmicum detrahendo vno tractu ſanguinis libras tres, & horâ inter-

poſita, libram aliam.

Acria omnia medicamenta parti cuiuis admota, niſi vacuum excrementis corpus fuerit, fluxionem attrahunt, phlegmonemque producunt. *A*

Quæ ex cubito euacuationes fiunt purgationes menſtruas reprimunt, ſanguinemque retrahunt ad ſupernas corporis partes. *B*

Iſchyadas ſeu coxendices vbi non à frigore, ſed impletis ſanguine quæ in coxa ſunt venis proueniunt, ſecta in poplite vena curabis. *C*

Incipientes phlegmonas reuulſu curare oportet. Quæ vero inueteratæ iam ſunt ex ipſis particulis, aut ſi id fieri nequit, è vicinis. *E.*

Qui in gutture & aſpera arteria graui torquentur fluxione & inflammatione, iis in principio aperta in cubito vena, poſt principium in ipſa lingua magnificè prodeſt inciſis venisquæ ſub lingua ſunt ambabus. *D*

A Podagricos euacuabis è cubito; comitialibus verò morbis, vertiginibuſque obnoxios potius è cruribus.

B Si retentæ hæmorrhoides mittendi ſanguinis occaſionem præſtiterint, ſi cohibere eas voles, quæ in brachio ſunt, ſin prouocare quæ in cruribus conſiſtunt venas ſecare conuenit. In iis verò quibus repreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus.

C Iam vero ad ſanguinis miſſionem dierum numerus conſiderandus non eſt, ſiquidem quocumque die & quacumque hora ſcopos in laborante inueneris, ſcilicet, magnitudinem morbi, & virium robur, (excepta ætate pueruli, & ambiente admodum frigido) toties auxilium id non prætermittes, etiamſi is dies primus à vigeſimo extiterit; ſoluitur enim temporis tractu virtus, ac proinde mittendi ſanguinis occaſio numero dierum deperditur.

D Conſueuerunt medici interdum ſecare arterias quæ in temporibus ſunt, & quæ ſecus aures conſiſtunt; illas quidem infeſtantibus oculos

fluxionibus;has verò quæ ſecundum aures in vertiginoſis & iis qui calidis ſpirituoſiſque capitis doloribus infeſtantur. repet. lib. 13. meth.

Dolor ſanguinem ad ſe trahit, & ſæpe partium imbecillitas ſanguinem abſque corporis plenitudine contrahit, cum videlicet partes fortiores per venas ſeu per canales quoſdam propria excrementa ſemper ad imbecilliores expellant, donec ad imbecillimam deffluxerint, & quæ ex ſe ipſa expellere quod in ipſa redundat,nequit. Quod in glandulis cernitur, quæ ob ſubſtantiæ laxitatem,& facultatum naturalium innatam imbecillitatem(excepta alteratrice) cum excrementa ſemel exceperint, expellere à ſe nequaquam poſſunt. A

Vbi multa euacuatione eſt opus, & vires ſunt imbecillæ, in iis euacuationem partiri expedit. B

Poterit quis ſanguinem mittere ſcopum ſibi proponens in febrientibus circuituum declinationem; etiam quocumque die, noctiſque hora. In quibus autem aut ob lippi- C

tudinem aut ob dolorem, aut phlegmonem hoc eſt opus auxilio; magnitudinem tum doloris, tum phlegmonis, tum illius affectus in quo vena ſecta deſideratur.

A Rheumatiſmus ſæpius fit à toto corpore & non à capite ſolo (vt voluit fernel. conſil. de puero podagrico) ait enim, huiuſmodi quapiam ratione prouenire ſcito rheumaticos nominatos affectus, toto videlicet corpore infirmo, principibus vero ipſius partibus, parum licet ſanguinis inſit grauari tamen ſolitis, eiuſque ad carneas cutis partes protudentibus. Vbi nota in rheumatiſmo partem aliquam nobilem læſam eſſe & ſæpe hepar; à quo praua hæmatoſis, & ab ipſa fluxio generatur. Vnde lib. 4. aph. 44. ait hypp. qui diuturna febre corripiuntur, iis dolores & labores in articulis fiunt. Zac. luſit. Rondel. Riuerius; & alij ſequuntur Gal. mentem ea potiſſimum ratione, quod ex ſolutione febrium ardentium morbus in dolores arthriticos conuertatur, materia è venis maioribus in capillares, & ab his in

articulos defluxa.

De Reuulſione.

Vehementiſſimos humorum influ- **A**
xus remediis reuulſoriis prohibemus qualia ſunt incumbenti in pectus aut in ventrem humore ad manus retractio, Vomitus vbi deorſum decumbit, ſicuti in vomitu per acriores clyſmos reuulſio.

Reuulſorium auxilium eſt iuxta **B**
mammas cucurbitula admota, cæterum hyppocondriis affixa ſanguinis impetum ad nares, reuocat, ſicuti & immodicum ex vtero effluxum.

In ſumma revulſio molienda eſt **C**
humoribus ſurſum fluentibus, deorſum; deorſum verò, ſurſum; rurſum, intro vergentibus foras; ſicuti ſi foras ruant, ad interiora; ſimiliter ſi ad dextram inclinent, ad ſiniſtram; ſi in ſiniſtram abeant, ad dextram: ſic quæ retrò accedunt ante, quæ verò ante, retro reuocabis.

Quos & quando purgar. oport.

Seroſos tenueſque humores ab **D**

initio vacuabis, in craſſis autem & viſcidis expectabis coctionem.

A Subiungit corpus ad purgationem præparatum eſſe, modo humores ſint attenuati, & meatus aperti. Nam hæc duo humores ad purgationem præparant, nempe eorum attenuatio, & meatuum apertio.

B Auicenna vult humores præparari, quando tenues incraſſantur, & craſſi inciduntur; hi videlicet qui tenues in pectus delapſi, vt euacuentur incraſſari debent. At in purgationibus per ſeceſſum moliendis quo tenuiores ſunt humores, eo facilius à medicamento trahuntur, ſiue ſint ſeroſi, ſiue bilioſi, dummodo tenues & meatus aperti. Vnde *hypp. lib. 2. aph.* ait, corpora cũ quis purgare voluerit, ea fluxilia facere oportet. Gal. in com. ait, fluxilia fieri, ſi humores attenuentur, & meatus aperiantur.

C Si febris vehemens non fuerit, ægrique naturam noueris medicamentum dabis. hypp. verò lib. de medicinis purgantib. ait, qui febribus fortibus corripiuntur, medicamentum purgans dare periculo-

ſum donec remiſerit febris, carnes enim ipſorum & ventres cum ſint calidi medicamentum abſumunt, & nihil depurgantur.

De compoſit. medicam. ſecund. loca. lib. 1.

Fortibus pharmacis parcius vtendum eſt ;peccatum ſiquidem infra modum nullum detrimentum affert, ſupra verò maximum. Nam peccata omiſſionis leviora ſunt , quam commiſſionis. Quod etiam teſtatur *fernel.* 3. *Meth.* Satius eſt , inquit, paulo infra modum ſubſiſtere,quam vltra procedere , &c. A

De ſimplicium medicament. facultat. lib. 2.

Ex caricarum eſu pediculorum multitudo prouenit, B

De *ſimp. medic. facult. lib.* 3.

Nullum animal mori poteſt , niſi cor ab agendi munere ceſſet. Repet. *de loc. aff. lib.* 5. *cap.* 1. C

A *De attractione medicam. purgant.*

Cap. 24. huius lib. & lib. 5. cap. 16. ait. Attrahentia omnia vel attrahunt B qualitate innata, & ingenerata, caloris videlicet exuperantis beneficio, vt Thapſia, dictamnum, ſagapenum, & ſimilia. Vel qualitate acquiſita & putredinali vt in fermento, pſorico, & fimis omnibus; vel denique eſſentiæ, & ſubſtantiæ ſimilitudine; vt omnia quæ nutriuntur; purgantia medicamenta, & amulætorum nonnulla.

C Alimentorum enim & purgantium attractiones fiunt, inquit, ſimilitudine ſubſtantiæ. Neceſſum autem eſt vt ſi quod purgatur, pituita eſt: id quod attrahit, ſit non pituita, ſed pituitoſum. Etenim ſimilitudo ineſt ſubſtantiæ attrahenti, non identitas; & in ipſa, facultas aptior, & promptior eſt trahere quam trahi.

Cauſa verò cur ferrum non attra- D hat alterum ferrum eſt identitas ſubſtantiæ, quæ non requiritur ad attractionem, ſed tantum ſimilitudo partialis, & non ſimilitudo totalis quæ identitas eſt.

De ſimpl. medic. facult. lib. 5.

Concoctio ab innato calore fit, ab externo iuvatur; duplex eſt, vna vera, altera ſpuria. concoctio vera ſeu πέπανσις eſt alimentorum ſeu humorum ad corpus nutriendum habilium alteratio à calore naturali facta. A

Concoctio ſpuria ſeu πέπασμος eſt humorum vitioſorum quantitate vel qualitate peccantium alteratio, & in meliorem ſtatum reductio. nam cocta à *Gal.* dicuntur, quæ à natura, ſeu à calore natiuo ſunt euicta. Cruda verò quæ à calore naturali non ſunt ſuperata. B

Omnes autem humores praui prius debent concoqui, ſecundo ſeparari, tertiò expelli. comm. 22. aph. lib. 4. C

De purgant. medicam. facul.

Per detractionem ſanguinis æqualiter omnes qui in venis ſunt humores vacuantur. Per purgationem verò ſanguis ipſe purificatur. Purgantia enim dicuntur, quod D

ab excrementis ſanguinem repurgent. Nota tamen ſi ſanguis putridus, coctus ſit & ſeparatus à bono, prius prauum vacuari. Sin crudus ſit & mixtus, tum paruum, tum bonum æqualiter aperta vena vacuari.

Comment. De humoribus.

A Crudum dicitur excrementum quod à natura non eſt concoctum, Duplex autem eſt crudum, vnum tenue & liquidum, alterum, craſſum & viſcidum. Crudum tenue non expectata coctione vacuandum eſt, crudum craſſum & viſcidum tantum poſt coctionem, modo non impendeat periculum ſuffocationis, aut decubitus in partem nobilem; quo tempore etiam cruda viſcida vacuari debent, licet magna ſymptomata à vacuatione ſuccedant: quia maius malum eſt euitandum; & ſatius eſt illa pati quam ſuffocari.

Comment. 4. Acutorum.

B Nos autem plenitudine non exi-

ſtente venam ſecamus, cum dolor vehemens hominem præhenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os è loco pulſum, vel articulus contractus, reductuſque fuerit.

Aluo fluente &c. vid. 262. B

Comment. *Aph.* 2. *ſect.* 1.

Quæ rectè à natura fiunt, ea artis operibus imitari medicus debet.lib. verò 4. meth.ait,debet imitator eſſe medicus non tantum naturæ, ſed eorum etiam quæ cum ſua ſponte eueniant conferunt.Nam teſte hypp. 21. aph. ſect. prim. quo natura vergit, eo ducere oportet. *Gal. comm.* 7. *Epid.* inquit, pro motione noxiorum humorum facere oportet euacuationes. Nam poſt coctiones naturam habemus vacuationis adiutricem. Solet enim cocta prius ſecernere, & demum expellere. Ideo diligenter medicus naturæ motum & propenſionẽ obſervare debet,comm. 21. & 22. aph. lib. prim. A

Purgatio eſt vitioſorum humorum quantitate,vel qualitate peccantium B

vacuatio à medicamento facta.

A Humores redundantes ex colore dignoſcuntur,& ex humoribus,temperamenta: color enim in cute, inquit, ſimilis efflorescit humoribus contentis niſi intro reffluxerint.

Comm. 4. acutorum. text. 116.

B Aluo fluente ſanguinem non detrahes, quicumque enim ſanguinem mittere, vel plus quam oporteat educere fore neceſſarium putantes ægros in maiora pericula deduxerunt.

C Nota id eſſe verum in dyarrhæa pituitoſa, non vero in bilioſa, maxime in dyſſenteria. Quo caſu miſſio ſanguinis parca, per reuulſionem, vel alterationem celebrata plurimum confert. Id probat donatus Abaltimarus cap. de dyſſenteria;rationibus & experientia.

Comm. Aphoris. 23. ſect. 1.

D In ardentiſſimis febribus, in maximis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus nullum præ-

ſentius noui remedium ea miſſione ſanguinis quæ ad lypothimiam vſque celebratur; illico enim totum corporis habitum reffrigerat, & febrem extinguit. Poſtmodum autem ſuperuenit vomitus, vel ſudor, vel ſomnus, à quo autem & ſalus.

Comm. Aphoriſ. 24. ſect. 1.

Qui cruditatibus ex multis, aut craſſis eduliis abundãt, quibus autem flatibus diſtenta ſunt hyppocondria, aut vrina ſupra modum calida & ignea, aut aliqua ſubiectorum viſcerum ſuſpecta inflammatio, omnes hi prorſus ſunt ad purgationem inepti. A

Verum in acutis cum initio, ſtatim, vel circa primum diem, vel ſaltem non vltra ſecundum purgatio inſtituenda ſit ſi ſua inſtabilitate natura ad ſui excretionem inuitet. B

Comm. Aphor. 29. ſect. 2.

Deplorati curandi non ſunt, ſed ab iis abſtinere oportet, & finem morbi prædicere. Nam ex hypp. C

prim. progn. Medicus prouidentiâ vti debet; Cum morituros, victuroſque præſentiens atque prænuntians omnem prorſus calumniam euitet.

A Affectus qui ſymptoma gignit; quem morbum vocamus, dum viget, non eſt omnino fortior, ſed in iis qui ſeruari debent multo melior quam morbi initio.

Comm. Aphor. 30. ſect. 2.

B Affectiones ad quas ſymptomata conſequuntur, vt per vigorem meliores exiſtant neceſſe eſt; in iis quidem ægrotis qui ſanitati ſunt reſtituendi. Sunt meliores reſpectu coctionum, non ſymptomatum: hoc eſt penes eſſentiam, non penes ſymptomata.

Comm. Aphor. 26. ſect. 3.

C Mala ciborum concoctio à fœtiditate excrementorum noſcitur. Et primo lib. Cryſeon ait, quod vehementer fœtet, vehementem putrefactionē indicat.

Comment. Aph. 21. ſect. 4.

Excrementorum plures colores ſi ſponte vacuentur multarum in corpore affectionum ſunt ſigna. Firmat lib. prim. Cryſeon. Varium, inquit, excrementum variis affectibus corpus detentum oſtendit. &c. A

Comm. Aphor. 22. ſect. 4.

Vt bona fiat cryſis primò debet præcedere coctio, ſecundò ſeparatio, ſeu ſecretio boni à prauo. Tertiò eiuſdem prauæ materiæ vacuatio. B

Ibidem. Quomodo noſcitur vigor morbi præteriiſſe; & principium veræ declinationis incepiſſe.

Status morbi ſanabilis determinatur à perfecta coctione, & notabili humoris cocti vacuatione: Nec enim fieri poteſt, vt nulla materia morbifica vacuata morbus declinet. Quare ſi quis poſt peractam coctionem retentis humoribus noxiis ob C

debilitatem expultricis moriatur (vt in morbis pectoris ſæpius cernitur) is non in declinatione, ſed in ſtatu mori cenſendus eſt. Docente *Gal. comm.* lib. 4. aph. 22.

Comm. Aphor. 30. *ſect.* 4.

A Cum acceſſionum cauſa minimè fixa, firmataue fuerit, eandem periodum & ſtatam horam non ſeruat, & proinde ſolutu facilis eſt; nam quæ firmata ſunt & impacta robuſto quodam vt dimoueantur quaſi vecte opus habent. Vt pote cum longo tempore pluribus & fortibus auxiliis opus ſit. Vnde hypp. Si qua, inquit, hora febris inuaſerit, craſtina die eadem repetat, iudicium habet difficile.

Comm. Aphor. 63. *ſect.* 4.

B Remanet quædam in corpore præter naturam affectio, à qua in orbem febres aliæ & morbi generantur; & tanquam ex fonte quodam & fo̧co ſcaturiunt, & reaccenduntur,

Comm. Aphor. 71. *ſect.* 4.

Cui ſeptimo die coctio apparuiſſet, is quarto decimo fuit iudicatus; cui quarto decimo is vigeſimo cryſim ſubiit, apparuit & cuidam alteri vndecimo qui decimo ſeptimo fuit iudicatus; & alij cuipiam vndecimo qui vigeſimo fuit iudicatus. A

Comm. Aphor. 10. *ſect.* 5.

Tranſlatio materiæ morbificæ in membrū principale noſcitur; quando pulſus fit magis durus, inæqualis, & inordinatus. Tranſlatio verò à nobilibus ad ignobiles noſcitur, ſi pulſus fiat mollior, ordinatior, & æqualior, cum facili & æquabili reſpiratione. Hæc tranſlatio vocatur μετάστασις, nam ἐπιγένεσις dicitur, cum humor peccans in imis partibus propagatur ad externa, ſecundum aliquam portionem, remanente tamen foco, & portione in imis corporis partibus. B

Comm. Aphor. 28. ſect. 6.

A Articularis morbi cauſa duplex eſt. Vna artuum imbecillitas, naturalis ex prauo ſemine, Vel acquiſita, ex prauo victus regimine, & immodica venere: Quæ quidem imbecillitas fluxionem attrahit. Altera eſt excrementorum copia. Ex his licet coniicere in principio doloris ſeu primis diebus plenitudine exiſtente fieri debere vacuationem vniuerſalem copioſam. Miſſione quidem ſanguinis ſi plethora ſit; forti autem cathartico, ſi cacochymia. Vid. fol. 281.

Commen. Prognoſticorum lib. primi.

B Stridor dentium fit quoties muſculi in temporibus & maxillis modo conuulſionis mouentur. Si enim febre acuta detento ſtridor dentium accidat phrænitidem portendit; quod ſi iam deliranti accidat, vix æque pernicioſam inuenies notam.

C Si quis collum, manus, & crura

inæqualiter diſpergat, & protinus ſe in variam figuram inuertat; ſcito id vel vitio oris ventriculi, vel ob viriũ labeſcentium imbecillitatem prouenire. Eadem iactatio immorigera, & immodeſta non febricitantibus dementiam ſignificat, vel furorem eroticum. Firmat *hypp. coac. n.* 3.

Ex rigore perfrigerationes quæ non recaleſcunt, malæ. Quia vt exponit *Gal.* langorem caloris natiui & extinctionem ſignificant. A

Vbi ſedere vult æger vel rectus ſtare in ipſo morbi vigore, malum quidem eſt in omnibus acutis febribus, ſed longe peſſimum pulmonibus laborantibus. B

Comment. progn. lib. 2.

Si præter grauitatem vngues, ac digiti liuidi ſint, expectāda mors eſt. C

Omnis nigrities calorem immoderatum arguit. D

Comment. prognoſt. lib. 3.

Indicia ſuppurationum tria ſunt, E

pectoris grauitas, horror, febriſque inæqualitas.

A Omnis inter cutem aqua vitiato ſanguificationis opere prouenit. Nã vt venter ſic etiam Iecur, vel per ſe primum, vel ex conſenſu cum aliis partibus afficitur.

B Ructus affectio eſt quæ imbecillitem caloris natiui ſignificat.

C Poſt partum ſi mulier febricitauerit, iudicationes fiunt à partu quouis die pepererit. Hæc hypp. Gal. verò in comment. ait, in mulieribus morborum iudicia à partu numeranda ſunt; non verò à die à quo cæpit febrire. Quia in partu omnes humores æquè mouentur, atque ſi parturiens febre laboraret.

SENTENTIÆ

Illuſtrium quorumdam Medicorum.

LIBER III.

Auicenna. lib. 4. *de febrib.*

QVi febribus fortibus corripiuntur, medicamentum purgans dare periculoſum. *A*

Quicumque enim ſanguinem mittere, vel plus quam oportcat adimere fore neceſſarium putantes, ægros in maiora pericula deduxerunt. *B*

De phlebotomia inquit, cum phlebotomia neceſſaria fuerit cum imbecillitate virtutis, & febre intenſa, partire phlebotomiam ſicut prædiximus. *C*

Si lingua denigretur cũ alleuiatione febris, ſepultam eſſe putato. Hypp. in coacis, ait. Lingua nigra in aluo *D*

liquida celerem mortem portendit. *Gal. comm. progn.* 2. ait, omnis nigrities calorem immoderatum arguit.

A Senes febres habent ſepultas, quas vulgus appellat, internas. Rationem pete ab hypp. aph. 14. ſect. prim. quia, cum corpus ſenum, inquit, ſit frigidum; calor præter naturam in ipſis vix vnquam perſentitur.

Celſus. lib. 1.

B Homo ſanus nullis ſe legibus obligare debet; hunc oportet varium habere vitæ genus; modò ruri eſſe, modò in vrbe. Nam ignauia corpus hebetat, labor firmat; illa, maturam ſenectutem; hic, longam adoleſcentiam reddit.

C Cuius rei non eſt certa cognitio, certũ non poteſt exhiberi remediũ: cũ prima remediorum inuentio ſit cognitio morbi. Quod etiam firmat. *Gal. meth. med. lib.* 2.

D Imbecillis ſtomacho, quo in numero magna pars vrbanorum eſt, omniſque pene literarum cupidi obſeruatio neceſſaria eſt, vt quod corpo-

ris, vel loci, vel ſtudij ratio detrahit, cura reſtituat.

In mittendo ſanguine non tam annos medicus numerare, quam vires ægrotantis æſtimare debet. *A*

Satius eſt primo leuare ægrum, deinde perpurgare, quam ſimul omni vi effuſa fortaſſe præcipitare. Quod etiam firmat hypp. aph. 51. ſect. 2. quod, inquit, paulatim fit, tutum eſt. *B*

Celſus. lib. 2.

Cum adeſt cruditas ſanguis mittendus non eſt, modo ne quidquam vrgeat. Nam ſi ex altiore loco decidit aliquis, ſi contuſus eſt; ſi ex aliquo ſubito caſu ſanguinem vomit, & in ſimilibus repentinis caſibus, quamuis pavlo ante ſumpſit cibum, tamen ei protinus materia demenda. *C*

Celſus. lib. 3.

Periti medici eſt non protinus vt venit brachium manu apprehendere; ſed primum reſidere hilari vultu, *D*

percontarique quomodo ſe habeat, quod ſi quis ægro metus ſit, eum probabili ſermone lenire, tum deinde eius corpori manum admouere.

A Quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuat.

B Non ignobilis Chryſippi diſcipulus apud antigonum regem, eius amicum mediocriter hydrope laborantem moriturum prædixit: cumque Philippus alter medicus ſalutem pollicitus eſſet ſoli Philippo ab Antigono cura dimiſſa eſt. Verum cum præ inobedientia & moroſitate mortuus Antigoni amicus eſſet, eo quod inſciis cuſtodibus vrinam & malagmata deuoraſſet, hoc ſermone Chryſippi diſcipulum vſum eſſe aiunt; vtrumque medicum rectè præſagiſſe. Illum tantummodo morbum, ſe ægri animum reſpexiſſe. Quod morbus qui ex ſua natura ad ſalutem iudicandus erat; præ moroſitate ægri mortalis redditus eſſet: quo loco inculcat medicum eſſe debere cautum in curatione morborum, ſed præcipuè in prognoſi facienda, in qua non ſolum morbi natura, & ægri vires,

ſed ipſius etiam moroſitas conſideranda venit.

Sæpe vno die aluum fluere pro valetudine eſt, interdum etiam & pluribus; modo febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur. *A*

Celſus. lib. 4.

Vti ſomniferis niſi nimia neceſſitas vrgeat alienum eſt. Sunt enim ex vehementibus medicamentis, & ſtomacho alienis. *B*

Magna in his præmeditatione vtendum eſt, ne quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſimus. *C*

Prudentis medici eſt, eum qui ſeruari non poteſt non attingere, ne videatur occidiſſe quem ſors ipſius peremit: Deinde vbi grauis metus eſt, ſine certa tamen deſperatione, indicare neceſſariis, periclitantis in difficili rem eſſe: ne ſi forte malo ars victa fuerit, vel fefelliſſe, vel ignoraſſe videatur. *D*

Fernelius in pathologia.

Si quid in re ancipiti experiri co-
A garis leue id eſto, ne ſi forte malo aduerſetur fiat in re ancipiti iactura grauis. Natura enim vel morbum patefaciet vel quod ſibi noxium eſt, foras expellet.

De cauſa febrium intermittentium materiali, & earum ſede & minera ſic habet.

B Cauſa febrium intermittentium in primis viis exiſtit: vel enim eſt in ventriculo vel caua iecoris quæ vomitu vacuatur plerumque; vel in venis mezenterij, pancræate, & inteſtinis, quæ deiectionibus; vel in renibus, ſplene, vel gibba Iecoris, quę per vrinas vel ſudores expellitur. Quando verò hæc materia, ſubtilior à calore facta ad venas rapitur, quod ex vrinis rubris, febre, ſiti & vigiliis noſcitur, continuam producit, vel ſaltem ad continuam prope accedit. Quo tempore Auicenna vult ſanguinem mittendum eſſe lib. 4. de febribus, idque ratione materiæ quæ

ad venas ſecundum tenuiorem portionem rapta eſt. Quod euenit fere ſemper poſt tertiam acceſſionem, & non ante.

Sennertus verò lib. de febrib. vult nunquam mittendum eſſe ſanguinem in exquiſita tertiana, ſed ſemper purgatione curandam eſſe; quia, inquit, materia peccans cum ſit in primis viis, ſanguinis miſſione non tollitur, ſed purgatione. Affert authoritatem Fernelij qui lib. de febr. cap. de tertiana, aſſerit ſe inueniſſe bilis libræ pondo circa cauam iecoris, idque in cadauere febre tertiana mortuo. *A*

Fernel. lib. 2. Meth.

In omni impura plenitudine à vena ſecta auſpicanda curatio eſt, ſine qua vix tutò purgatio decernatur. *B*

Cap. IX. eiuſdem lib. facultatum, inquit, viriumque corporis, aliæ ingeneratæ ſunt & inſitæ, aliæ communes, & influentes. *C*

Inſitarum atque innati calidi vnam

eamdemque haberi eſſentiam, eamque naturam appellari; & ex innato ſpiritu & humido primigenio conflari, cui ſolida partium ſubſtantia tanquam materia ſubſternatur, alias planum effecimus. Communiũ vero vagarumque eſſentias è tribus principiorum fontibus emanare, triplicique ſpiritu, animali è cerebro per neruos; vitali è corde per arterias; naturali è iecore per venas in totum corpus effundi oſtendimus. Quo loci demonſtratum eſt, vires ingenitas partibus ſingulis ab influentibus ſuſtineri, totum verò animal ab vtriſque gubernari.

Fernel. lib. 3. *Meth.*

A Eadẽ eſt ratio purgationis in cacochymia atque miſſionis ſanguinis in plethora. Et ſicut viribus imbecillis in plethora, parca & iterata fieri debet miſſio ſanguinis, ita in cacochymia viribus imbecillis parca & iterata fieri debet purgatio. Nam, inquit, ſi vires diſſolui videantur, etiamſi reſtent ſuperuacanea protinus eſt ſuperſedendum dum illæ recreentur, partitè autem vacuandum dum ni-

hil ſit reliquum putredinis. In multa etenim cacochymia tutius eſt paulo citra modum ſubſiſtere quam vltra procedere; quandoquidem leuiora ſunt peccata omiſſionis quam commiſſionis. An autem partitè, an vniuersè id fieri oporteat, humoris copia, laborantiſque vires indicabunt.

Cap. XII. Eiuſdem libri. Leuiter, inquit, affecti, Naturæ, viuendique legibus ſunt committendi. Quos enim ſponte natura perſanat, fruſtra medicina ſuccurrat. Quibus autem nec naturæ vis, nec proba victus ratio ſatis fuerit, medicina ſuccurrat. *A*

Humor qui publicis viis ſubſiſtit, ſi præparatus eſt, omni morbi tempore vtiliter deiici poteſt; qui verò aut in viſceribus inhæret, aut in venis concluditur, & proxima eſt morbi materia; dum concoctus apparet fæliciter, dum adhuc crudus vtiliter, atque interdum neceſſario purgandus. *B*

Licet purgatio à perfecta coctione fælicior ſit, tamen ante concoctio- *C*

nem in ancipiti grauique morbo eſt neceſſaria, in ſalutari ac miti vtilis; maximè cum benignè & partite fit. Etenim ſicut in phlegmonis curatione non vniuerſæ materiæ coctio expectatur ad euacuationem, ſed provt concoquitur, quotidie elicitur. Sic in phlegmonis vniuerſalis, hoc eſt, febris continuæ curatione, provt cocta eſt materia, leuiter quoque eſt vacuanda; maximè in forti & ancipiti morbo, neque prudentis eſt medici expectare coctionem totalem & perfectam quæ fortaſſe futura non eſt. Impendentem morbum ſæpe arcemus purgatione, quo tempore crudior eſt materia quam in fine principij, & in augmento: Ergo à fortiori debet potius vacuari leui medicamento materia partialiter cocta, maxime quia portione vacuata, reliquũ natura facilius edomat.

A Ergo ſi licet humores crudos vacuare in primis viis exiſtentes, tenues quidem & ſeroſos omni tempore; (imo & craſſos ſi turgeant) à fortiori cum adeſt coctio licebit, ſub ea tamen conditione, vt quando obſ-

curè cocta eſt materia in acutis leni & benigno medicamento vtamur, dum mediocriter cocta, mediocri; dum perfectè & abſolutè cocta, forti catharctico.

Nam quod iubet hypp. concocta medicari non cruda, non abſolutè cocta intelligit, neque abſolutè cruda ſed quovis modo cocta cōplectitur. Quam quidem ſentētiam omnes pariſienſes doctores ſequuntur, & in praxim redigunt. Vid. Gal. comm. de humoribus: crudum duplex eſt vnum tenue, alterum craſſum, &c. A

Fernel. conſil. de puer. pod.

Incipiente podagræ paroxiſmo cum primum rudimenta erunt doloris exquiſitè purgandum eſt, nec vlla eſt expectanda concoctio. Humor enim dum in articulos influit tenuis eſt & aquoſus, qui facilè purgationi cedet, at vbi in articulo aliquamdiu inhæreſcit, craſſeſit; neque facile à medicamento trahitur. Vnde Gal. lib. quos & quando purgare oporteat; ſeroſos, inquit, tenueſque humores ab initio vacuabis, in craſſis & viſcidis expectabis coctionem. B

A Suadet ratio, quia in principio doloris turget humor, quandoquidem motu agitatur, & à partibus fortioribus ad imbecilliores transfluit, in quibus præ imbecillitate inhæreſcit & craſſeſit ab æſtuante calore; atque adeo difficile à medicamento poſtea tolli poteſt.

Hartmannus in practica.

B Impuritates, inquit, craſſiores quæ in iuncturis reſtare ſolent, finaliter exterminandæ cum mercurio laxatiuo, quem mercurium dulcem appellamus. Eiuſdem opinionis eſt *Martinus Rulandus* cẽturia 6. lib. prim. imo de Mercurio dulci ſic, ait, *Beguinus.*

C Mercurius præcipitatus in podagra & hydrope ſummum eſt arcanum.

Ego cum bono ſucceſſu podagricis & ſemi paralyticis tale præſcripſi remedium.

D ℞. Mercurij dulcis ℈. ß. guttæ gambæ gran. 3. vel 4. confectionis hamec ʒ. 2. m. f. Bolus cap. imminente vel incipiente inſultu.

E Optimos etiam præſtat effectus

puluis ſequens. ℞ puluer. Zelapij, turbith, hermodactilorum ana. ℨ.1. guttæ gambæ gran. 15. diagrid. ℈. ß. cinnamom. gran. 6. fiat omnium puluis, miſceatur, & ex hoc da ℨ.1. ſemel in menſe ad præſeruationem & ſi debilis ſit ad ℈.2.

A Cap. de arthrytide, ait, In principio podagræ ſi corpus ſit plethoricum ſtatim mittendus eſt ſanguis præmiſſo tamen clyſtere, Dolore non ceſſante catharticum ſine mora eſt exhibendum paratum ex Mercurio dulci, gutta, gamba, & pauca confect. hamec. doſi viribus proportionata & nihilominus paulò fortiori. Quod ſi pertinax reddatur dolor, conſulit prouocandos eſſe ſudores more laconico; & ad vaporem aquæ vitæ rectificatæ, & accenſæ quibus, ait, nullus dolor arthryticus, neque contractura vlla reſiſtit arthritica. Hæc bene ceſſiſſe expertus ſum.

Heurnius comment. aph.

B Cum adeſt leuis coctio, leui vtendum eſt medicamento, cum mediocris, mediocri. Cum per-

ſecta, forti cathartico.

A Perdulcis cap. de purgatione, ait, id eſſe intelligendum, & obſeruandum, in febribus intermittentibus, non autem in continuis. Fernel. tamen libro 3. method. ſuprà citato, etiam in acutis, ancipitibus, grauibúſque morbis agendum eſſe ſuadet, & probat, maximè dum remittit febris. & cum pthyſanis purgantibus lenioribus.

B *Heurnius ad praxim. lib. 2.*

In Dyarrhæa, dyſſenteria, & teneſmo dat per aliquot dies conſequentes, purgationem ſequentem (quando nempe fiunt à cruditatibus corruptis) donec materia con-

C iuncta ſecundùm magnam portionem vacuata ſit.

℞. Corticis myrabolanorum citrinorum, Rhei electi ana ℈. ß. confect. de hyac. ℈. ij. æſtate temperat pauc. pulu. triaſantal. vel diſſoluit, cum ℥. 2. decocti thamarindorũ. ſi malit æger in forma liquida. Hoc modo tutò purgat per epicraſ. & ſine

vlla agitatione, idem remedium per aliquot dies exhibendo. Sic iubet Gal. lib. 9. meth. & de curandi ratione per ſanguinis miſſionem viribus ſcilicet imbecillis.

Quod ſi à bile à toto corpore fluente ad inteſtina huiuſmodi fluxus proueniat; tunc miſſio ſanguinis parca & repetita omnium optimum medicamen exiſtit. Hunc modum curationis nunquam malum ſed ſemper bonum euentum habere probauimus. Nam hypp. lib. de locis in homine de fluxibus differens, ait, fluxus, fluxum curat & vomitus vomitum. idem probat paulò inferius Donatus Abaltimarus. *A*

Præſtat in euacuationibus minus detrahendo delinquere, quam nimis detrahendo aberrare. *B*

Sennertus. lib. de febr.

Quando in febribus ſanguinis miſſio & purgatio ambo indicantur, ſemper eſt à miſſione ſanguinis auſpicandum, prius leui clyſthere iniecto qui eſt purgationis vicarius, ſi- *C*

cuti cucurbitularum applicatio miſſionis ſanguinis. Rationem reddit, quia ſanguis putridus in venis magis vrget, quam vitioſus ſuccus extra venas; & cum plus periculi immineat ex hoc quam ex illo huic prius auxilium ferendum. Firmat Gal. lib. De contuſione artis medicæ. & lib. 4. de ſanitate tuenda.

A Sennerti opinionem de cauſis & minera febrium intermittèntium, & Fernelij mentem. Vide ſupra in ſententiis Fernelij; & apud Galenum lib. de differentiis febrium. 2.

Sennert, de Cryſib. lib. 3.

B Ad bonam cryſim quatuor neceſſaria ſunt. Primò, vt fuerit indicata; ſecundò, vt facta ſit die critico. Tertiò cum præcedentibus coctionis ſignis; quartò vt fiat per locum circumferentem cum facili tolerantia, & conferentia.

C Primò debet indicari. ex hypp. aph. 24. ſect. 2. ſeptenorum quartus eſt index; alterius ſeptimanæ octauus principium, &c. Similiter

aph. 71. ſect. 4. ait, quibuſcumque die ſeptimo cryſis futura eſt, hi die quarto nubeculam rubram in vrinis habent.

Secundò Cryſis bona debet fieri die critico. Ita hypp. aph. 36. ſect. 4. ſudores, inquit, boni; & tertio, & quinto, & ſeptimo, & nono, &c. quare Gal. lib. prim. de dieb. decretor. Vocat ſextum diem tyrannum; quod vel non iudicet, vel male iudicet. *A*

Tertiò, cum ſignis coctionis. Docet hypp. primo epidem. coctio, inquit, celeritatem cryſis & ſalubrem ſecuritatem ſignificat, &c. Firmat Gal. de conſtitut. art. medic. & lib. 3. de cryſ. Neminem, inquit, vidi etſi millies iudiciis interfui, qui coctionibus præuiis iudicatus ſit, mortuum eſſe. *B*

Quartò, cryſis bona eſt, cum fit per locum circumferentem, cum leui tolerantia, & conferentia. Ita hypp. aph. 21. ſect. 1. quo, inquit, natura vergit, eo ducere oportet per loca circumferentia. Similiter, aph. 2. lib. 1. ſi euacuatio talis fiat qualis *C*

fieri debet, confert, & bene tolerant; ſin minus contra. & aph. vltimo ſect. prim. ſi qualia, inquit, oportet purgentur, confert, & leuiter ferunt, ſin contra difficulter.

Donatus Abaltimarus meth. general.

A Quantitas medicamenti purgantis nec dici, nec ſcribi, nec præcipi poteſt, pro certo: ſed tantum coniectura comparari. Nam nihil æque artem medicam in agendo coniecturalem efficit vti cuiuſque remedij quantitas; vt quoque firmat Gal. lib. de venæ ſect. quæ quidem quantitas minui, vel augeri debet pro diuerſo virium robore, temperamento, natura, ætate, conſuetudine, anni tempore, regione, cæli ſtatu, &c. quam quidem regulam à medico in præſcribendis remediis perpetuo tenendam conſulo.

B Cacoëthia ex morborum differentia noſcitur, & inæqualitate. Hoc eſt cum ſymptomata non reſpondent morbo, & ſunt ipſi incongrua. v. g. ſi non ſitiat, lingua exiſtente nigra, ſi in

in ardentibus calor non apparet, ſi ſine febre notabili lingua denigretur, &c. quæ ſymptomata ſunt epigenomena,& morbo ſuperuenientia. Vid. in obſeruationibus de febre maligna.

Omnis fluxus vel ab irritatione facultatis expultricis prouenit, vel ab exolutione retentricis. Si ab irritatione fiat, vel fit à copia grauante; vel à qualitate mordente quo caſu humor irritans eſt demulcendus, & deinde vacuandus leui corroborante;& partito auxilio. Si verò ab exolutione facultatis proueniat,tota cura in aſtringentibus. & corroborantibus tum internis, tum externis poſita eſt. Itaque ſi Dyarrhæa diſſenteria,& teneſmus fiant à cruditatibus, corruptis quæ à vētriculo ad inteſtina fluant, & qaæ coppia facult. expultricem grauent, & qualitate acri ad euacuationem irritent; tunc temporis opus eſt purgatiuncula aſtringente, & exprimente ſæpius repetita, metu debilitatis vt ſcitè notauit etiam Gal. meth. medend. lib. 9. Heurnius, & alij. Ita vt nullum vn *A*

quam prauum hac curandi ratione exitum habuerim.

A Si verò à bile excrementitia, vel ichoribus, (nam quilibet humor ſuum habet ichorem ex Gal. comm. 6. epidem) à toto corpore, vel ab hepate ad inteſtina fluentibus contingat, quæ expultricem copia, vel qualitate mordaci ad euacuationem irritent, febrem efficiant, dolorem mordacem pariant, & aliquando eryſipelas cum vlcere coniunctum in inteſtinis producant. Tunc temporis ſanguinis miſſio parca & repetita fieri debet: aſſeritque ſe ſemper bonum euentum ex hac habuiſſe.

B Deumque teſtatur hunc medicum, qui in hiſce fluxibus à bile à toto corpore, vel ab hepate ad inteſtina fluente productis ſanguinem non mittit, rationem coram Deo de omiſſa phlebotomia, & morte ægri reddere debere. Nos verò hoc conſilium ſequuti bonum exitum ſemper habuimus.

C Sũma præſagitionis in morituris, conualituriſque eſt; ſi vis morbi cum ægri facultate conferatur.

Zacutus Luſitanus.

Lib. prim. de medic. princ. hiſtor. De amore inſano ſeu erotico ſic habet. *A*

Cum Eraſiſtratus medicus, Anthyocum filium Seleuci Regis ſyriæ curaret, qui amore Stratonices nouercæ ſuæ deperibat, & ex hoc in tabem redactus erat, cognouit morbum ipſius, cum fortuito Stratonices ad eum viſendi gratia veniſſet, nam ſubſultus oculorum, motus inordinatus arteriæ, deffectus vocis, rubor genarũ, & irrequieta corporis iactatio ipſa præſente aderant, & abſente aberant & cuncta alia quæ à Sapho de amatoribus refferuntur. Cui morbo vt mederetur hac arte vſum ferunt. Dixit Seleuco patri eius filium nouo morbo detineri, nimio videlicet amoris incendio, quo niſi expleretur ſanari non poſſet; at eius mulieris amore correptum quam conſequi minime poſſet. Stupefactus Seleucus, cur, inquit, ſi huius ægritudinis cauſa amor eſt, languenti filio *B*

opitulari non poſſumus? ingenium nobis, an facultates deſunt? Tunc eraſiſtratus meam, inquit, vxorem ardet adoleſcens. Hoc audito Rex multis cum lachrymis & precibus rogat Eraſiſtratum, vt illam in coniugem daret filio cui tantum regnum deberetur; cui reſpondit Eraſiſtratus: hoc facile tu pater nobis enarras, at aliter ſentires ſi Stratonicem tuam amaret Anthyocus. Tum Rex vtinam, inquit, amorem filij mutare poſſem Deos enim teſtos quod meam vxorem ipſi cederem. Tunc Eraſiſtratus manu præenſa Regi, ait. Nihil & tibi amplius cum Eraſiſtrato non enim meam vxorem, ſed tuam Stratonicem ardet adoleſcens, & quomodo id nouerit declarauit. Pater autem re cognita filio ſuo ceſſit vxorem; quod eam amauerit fortunæ refferens, quod ad mortem vſque amorem cælârit pudori eius attribuens. Cui rei Stratonices non ſine dolore, & multis lacrymis, multaque mæſtitia acquieuit: quæ an vera vel ficta fuerit iudicandum relinquo, cum ſenem pro iuuene amaſio commutarit.

Anthiocus autem nuptiis celebratis cum Stratonice congreſſus, & expletus ſanitati reſtitutus eſt. Nam vt, ait poëta Publius ſyrus.
Amoris vulnus idem qui facit, ſanat.

Facultatem animalem in cryſibus morborum pectoris & cerebri aſſerit eſſe magis neceſſariam quã cæteras, quia, inquit, euacuatio puris fit mediantibus muſculis; in cryſi vero morborum abdominis & venarum facultatem naturalem eſſe magis neceſſariam quam cæteras, quia per expultricem naturalem fit cryſis, nihil iuuante animali. *A*

Zacutus Luſitan. quæſt. 18.

Similitudo, inquit, magna eſt, inter iudicium forenſe & cryſim morborum, nam perſonæ iudiciorum ſunt ſimiles perſonis cryſium. Reus enim ægrotus eſt; crimen, morbus; teſtes, ſigna & ſymptomata; cauſidicus, medicus, procurator, pharmacopola & chyrurgus; iudex, dies criticus; hac de cauſa ſeptimus dies Regi clementi æquiparatur, ſextus vero *B*

tyranno ex Gal. lib. primo de diebus decretor. Iudicium & cryſis, quod ſi ſit deffinitiuum eſt perfecta cryſis; ſi vero interloquutorium eſt imperfecta.

Zacut. Luſitan. quæſt. 57.

Renum imbecillitas & obſtructio ſæpe hidropis cauſæ ſunt. Nam cum renes ſanguinis aquoſitatem vt decet non attrahant, fit vt per genus venoſum vagetur adeo copioſa aquæ vbertas; vt vel calor ſuffocetur, vel ſi natura potens ſit ad habitum corporis, vel ad ventrem aqua protrudatur. Ideo conſulit aperientia, calida quidem ſi cauſa ſit frigida aut morbus confirmatus, frigida verò aperientia, ſi calida ſit & morbus ſolum inchoatus. Quod ante ipſum inſinuauit Gal. ad Glauc. lib. 2. ſub finem. Etenim certum eſt hydropem incipientem & inchoatam aliquando fieri à cauſa calida vt remota, & mediata; confirmati verò hydropis cauſam continentem, immediatam, proximam & per ſe frigidam eſſe:

quod ſuadet Gal.lib. 6. de loc. affect. cap. prim. cæterum, inquit, niſi ad hepar reffrigeratio ipſa contigerit aqua intercutem ſubſequi poteſt minime.

Duretus in enarrationem Holleri.

Cap. de pthyſi. Aſſerit pthyſicos prorogari & perdurare interdum ad multos annos. Imo ex fide Auicennæ & Erotiani allata poteſt hic morbus ad vigeſimum tertium annum aliquando produci, (in certa videlicet pthyſeos ſpecie ab empyemate ſpurio generata) ſummoto vel ſaltem moderato fluxu catharri, & ægro debitum victus regimen obſeruante. *A*

Aſſerit etiam & meritò tria eſſe ſigna lethalia hoc in affectu & mortem proximè minitantia; quorum beneficio & cognitione medicus mortem ſubitaneam & aliis impræuiſam dignoſcere poſſit. *B*

Primum ſignum eſt, ſi ſputum in aquam ſalſam coniectum fundum petat, etiam ſecundum aliquam portionem; quia illius grauitas pus ve- *C*

rum arguit, quod quidem ſequitur pulmonum vlcus, & ipſum, mors. Docente hypp. lib. coacarum. n.3.

A Secundum ſi capilli à capite defluant, quia illud deffluuium deffectum nutritionis arguit ſaltem per accidens, non quod capilli proprie nutriantur, ſed quia teſtantur deffectum homioſis, in qua tertia coctione excrementum craſſum pilis generandis idoneum ſubminiſtratur & hoc ſignum non in omnibus apparet, ſed in aliquibus.

B Tertium ſignum eſt ſi fluxus ventris ægrum corripiat, non ſolum magnus, ſed etiam moderatus; quia imbecillitatem facultatis alteratricis & retentricis arguit. Imo motu κατάῤῥοντα prohibet expectorationem materiæ purulentæ, quæ ſubito intercipiendo ſpiritum, ægrum adhuc loquentem repente ſuffocat. Quod docet, & firmat hypp. aph. 11. 12. & 14. lib. 5. hæc in prognoſi & curatione ſolerter cauenda ſunt cum ad famam & honorem medici valdè conducant & in praxi vera eſſe certiſſimum ſit.

Sanctorius Institopolitan. lib. 2.

Morbi omnes cognoſcuntur per ſex genera ſignorum. Tria deſumuntur ab anteriori : nempe à cauſis procatharcticis, à cauſis internis ſeu humoribus, & à diſpoſitione patientis. Tria verò petuntur à poſteriori nempe à ſymptomatis, à parte affecta, à iuuantibus & lædentibus. A

Quod vltimum eſt tanquam lydius lapis, cuius beneficio ſicut aurifices aurum, ita medici morbos agnoſcunt. Vnde valet conſequentia à poſteriori, calida iuuant, ergo frigidus eſt effectus. B

Ideo Gal. comm. aph. 27. ſect. 4. & comm. 9. aph. lib. 6. ait. Nouimus febrem morbis conferre qui à frigiditate fiunt, vel ab humoribus crudis & flatuoſis ſpiritibus. Hanc etiam ob cauſam aſſerit hypp. febrem tollere conuulſionem. C

Partes affectæ cognoſcuntur per ſex genera ſignorum. Primò ab excrementis: ſecundò ab actione læſa: D

tertiò à ſitu accidentium; quartò à propriis accidentibus; quintò à proprietate doloris; ſextò à iuuantibus & lædentibus.

A Per facultatem læſam intelligitur à medicis inſtrumentum ſeu organum læſum; vel praua conſtitutio partium ſimilarium, vel diſſimilarium, in quibus intemperies, malæ compoſitiones, & ſolutæ vnitates conſiſtunt.

Sanctorius. lib. 7. cap. 9.

B Morbi, inquit, qui ex mixtione proueniunt ſunt octuaginta millia octuaginta quatuor. Quem numerum ſic reperit; Bilis dantur ſeptem ſpecies, ex Gal. de atrabile. Pallida, flaua, vitellina, cærulea, porracea, æruginoſa, & rubra. Pituitæ, quatuor. Dulcis, acida, ſalſa, & vitrea. Melancholiæ, tres fæx ſanguinis naturalis, fæx ſanguinis aduſta, & atra bilis. Quæ omnes cum ſanguine efficiunt numerum quindecim.

C Quilibet autem humor ſuum habet ichorem ex Galen. 6. epidem,

Ideoque humores & ichores ſunt triginta,& hi quando putridi efficiunt numerum ſexaginta. Hi autem humores poſſunt putreſcere, in primo, ſecundo, tertio & quarto gradu, & per mixtionem ad inuicem varias morborum ſpecies producunt.

Deinde ſunt ſeptem differentiæ flatuum quatuor oriuntur à quatuor differentiis pituitæ. Duæ à melancholia, hoc eſt naturali, & fæce ſanguinis aduſta; ſeptima à cibo & potu. Domum lumbrici, eius vapores, ſperma retentum, & qui ex hoc emanant affectus, lues Gallica, & eius vapor. Adeo vt cum duo, vel tres, vel quatuor inuicem miſceantur, calculo Sanctorij efficiant numerum 80084. morborum mixtorum poſſibilium. Hoc eſt 40042. internorum, & 40042.externorum,qui numerus primo additus,efficit numerum prædictum 80084. A

Ego vero bona ipſius pace & venia dixero multò plures morboſos affectus humano corpori competere,imò dari morborum numerum inumerũ. Quod etſi credere difficillimũ ſit, ta- B

attentius perpendenti veritati conſonum reperietur, ſi nempe natura & modus agentis; natura, & modus patientis ſolerter conſiderentur. Agens ſiquidem hoc eſt, qualitates ſecundum magis & minus in ſubiecto; hoc eſt ſecundum gradus intenſionis & remiſſionis poſſunt differre in infinitum; ergo & morbi ab hiſce qualitatibus pendentes poſſunt etiam differre in infinitum; ergo dantur morbi poſſibiles in infinitum.

A Ex parte quoque patientis verum eſt, quoniam temperamenta corporum ex omnium medicorum & philoſophorum mente variantur pro varietate mixtionum, à quibus temperamenta conſtituuntur.

B Cum itaque gradus proportionati mixtionis à quibus Idio ſyncraſſiæ particulares rerum proprietates, ſympathiæ, & antypathiæ dependent, ſint infiniti, mixtiones quoque erunt infinitæ: ergo & temperamenta infinita; ergo & intẽperata quoque poſſibilia infinita. Qua de re perſuaſus hypp. inquit, ſi particulares rerum Idioſyncraſſias noſſem, eſſem tanquã

Æſculapius, quoniã vt exponit Gal. miſcere corpora tota per totat ſolius Dei & naturæ opus eſt. Deus enim in principio elementa pura inuicẽ miſcuit, è qua diuerſa mixtione graduali diuerſoque modo mixtionis innumeræ proprietates;& innumera quoque temperamenta exurgunt. Quod ex. aliquibus exemplis fit manifeſtum. Ex quinque enim vocalibus & ſexdecim conſonantibus variè aptatis innumeræ voces efformantur. Ex aliquibus coloribus varie & diuerſimodè aptatis innumeræ tabellarum differentiæ fiunt, & ex aliquibus metallis in impari menſura mixtis & liquatis variæ metallorum differentiæ oriuntur; & quoties de nouo variè miſcebuntur plus & minus augendo, vel minuendo portionem vnius vel alterius metalli:toties aliud metallum à prioribus diſtinctum efformabitur. Adeo vt ſi per Dei omnipotentiam in infinitum diuerſimode miſcerentur, & poſtea liquarentur infinitæ quoque diuerſitates exugerent.

Hoc ipſum arguit Plinius & con- *A*

iecit ex variis hominum figuris & aſpectibus, lib.7. cap.prim. Cum in facie inquit, vultuque noſtro decem ſint tantum membra; Nullæ tamen duæ in tot millibus hominum in diſcretæ effigies exiſtunt. Quod ille de veritate effigierum protulit, id ego de varietate quoque ingeniorum, morum naturarum, mixtionum, proprietatum, temperatorum, atque etiam intemperatorum audacter protulero. Quibus poſitis, quis innumeras morborum quoque differentias dari poſſe inficiabitur.

A Vnanimi ergo cum beato Paulo canamus. O altitudo diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quam incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & quam inueſtigabiles viæ eius. Sed quoniam medicus ſenſatus eſt artifex; has infinitas differentias particulares & graduales quas ad amuſſim cognoſcere nequit, in octo communes & generales eaſque ſenſibiles reduxit, quatuor ſimplices, & quatuor compoſitas, quarum aliæ ſunt cum materia, aliæ ſiue materia: Ex quibus ſenſibiles qualitatum & temperamento-

rum differentias naturales & morboſas poſſet dignoſcere, ſaltem quantum humanis viribus percipi poteſt. Neque enim quid ſit verum, ſed tantum quid ſit veriſimile noſcimus. Neque ad naturales rerum particularium Idioſyncraſſias cognoſcendas collimamus, ſed prope accedimus.

Soranus in vita hyppocr.

Reffert hyppocratem ſolum inter alios medicos nouiſſe Perdicam regem Macedonum amore pellicis Alexandri patris ſui tabeſcentem. Eo præcipuè indicio quod ex illius conſpectu illum prorſus immutari animaduertiſſet; tum etiam ex pulſu agitato & perturbato, coloreque mutato: quem voto potitum coituque ſatiatum ſanitati reſtituit. Iuxta illud Vulgatum Syri.

Amoris vulnus idem qui facit ſanat.

MORBORVM PROGNOSIS METHODVS GENERALIS.

LIBER IV.

Ab Hyppocrate, Galeno, & Illuſtribus Medicis ſparſim & indiſtinctè exarata.

In vnum ordine & acurata methodo compacta.

GVILLIELMO CLEMENTIS Doctore Medico Burſandeolenſi Authore.

AVENIONE,
Apud ANTONIVM DVPERIER, Illuſtriſſ. Archiepiſ. Avenion. & Cleri Typographum.

M. DC. LXXII.

VIRGINI DEIPARÆ.

SAPIENTER quidem ac prudenter in dubiis & difficillibus patrocinium ſumi conſueuit. Cum autem nihil prognoſi difficilius, nihil prædictionibus magis dubium & anceps reperiatur; (ſiquidem vates, Medicus præſagiens habetur.) Tuum VIRGO DEIPARA fauorem, tuam protectionem in agenda prognoſi auſpicatam imploramus, quippe quæ diuinæ gratiæ mater medicis frugi præſagientibus, Tuæque maieſtati obſequentibus futura velut præſentia reddere non dedignaris. Verum eum laborem noſtrum, lucubrationes, & inſudationes noſtras tanquam medium optimum & proportionatum ad ea comparanda exigas. Hyppocratis & Galeni præcepta, vel potius arcana medica quæ prognoſis rationem totam conſtituunt hinc & inde ſparſa & quaſi abſcondita enodaturus pro viribus in

vnum collegi, vt methodo & ordine quodam diſpoſita omnibus plana & manifeſta in communem hominum vtilitatem adhibeantur. Quiſquis ergo in morbis præſagiendis fortunatè agere voluerit, ſacra huius DEIPARÆ auxilio & ope primo munitus, ac dein Hyppocratis & Galeni præceptis hoc in libello non vulgari labore compactis inſtructus, ad ſacram Anchoram tanquam ad portum optatum in præſagiendo tutus appellet.

MORBORVM PROGNOSIS Methodus generalis Guillielmi Clementis. D. M. lib. 4.

PARS PRIMA.

COGNITIO MORBI.

Prognoſis excellentia, eſſentia, & quam difficilis ſit. Cap. I.

PRognoſis ſeu futurorum in morbis prædictio omnium medicinæ partium præſtantiſſima, totius artis cremor epitome, & compendiū iure cenſeri debet. Illa enim pars dignitate & præſtantia cæteris omnibus antecellit, quæ quidquid in aliis rarum, doctum, & ſublime ſparſim & indiſtinctè continetur, id ipſa totum in ſuo quaſi gremio vnitim complectitur. At, quid, quæſo, phygologia, *A*

quid pathologia, quid ſimiſtica, Ὑγιεινὴ, & θεραπευτικὴ, altum & eruditum comprehendunt? quod ad futura præſentienda non ſit neceſſarium. Quæcumque enim in phiſiologia pertractantur, elementa corporis, temperamenta, humores, partes, facultates, actiones, ſpiritus: quæ in pathologia, cauſæ externæ & internæ, morborum ſpecies, natura &c, quæ in ſimiotica, ſymptomata actiones videlicet læſæ, color mutatus, & excrementa mutata eorumque coctiones, & cruditates: ea, inquam, omnia à preſagientibus cognoſci apprimè debent.

A Demum Ὑγιεινὴ & θεραπευτικὴ quatenus iuuantia & lædentia tum alimenta tum medicamenta, tam ſimplicia quam compoſita continent, ad prognoſim agendam neceſſaria ſunt; quoniam ad morbi cognitionem, partiſque affectæ notitiam conducunt. Omitto longam experientiam, prudentiam, ſolertiam, & ſedulitatem non vulgarem penitus neceſſariam. Quare cum pauci hiſce omnibus cognitionibus & donis præditi re-

periantur;quid mirum, ſi pauci quoque hanc agendæ prognoſis rectam rationem vix conſequantur.

Non ergo immeritò Galenus bene præſagientem medicum optimum vocat, libr. de conſtit. art. medic. ſola, firmat, optimi medici præſagia curante quidem ipſo euenire, ægroto autem nihil delinquente. Et comm. prim. progn. præſtantiſſimum appellat; Tunc præſagia, inquit, ſunt euentura, vbi & medicus præſtantiſſimus fuerit, & in nullo æger delinquat. Primò de diebus decretor. Generoſum. Generoſi Medici eſt vti diem, ſic etiam cryſis horam prædicere. Quintò lib. de loc. affectis. A

Conſummatum cum coram Glaucone, ait, morbum ſiculi medici, partem affectam, & eius euentum prædixiſſem, valde me admirabatur, vt pote cum conſummatis in arte viris verſari nunquam conſueuiſſet. Demum hyppocrates præſagientem medicum prudentem vocat pr. prognoſt. num. 1. nihil, inquit, magis medico conducibile cenſeo, B

quam vt prudentem ſe in omnibus gerat; Galen. in comm. prouidentem vertit.

A Tria enim ex præuiſione bona oriuntur primum quod magis obſequentes reddat ægrotantes & maiorem habeant medico confidentiam: ſecundum quod culpa futuræ mortis in ipſum non reiicitur, nam morituros victuroſque præſentiens atque prænuntians omnem prorſus calumniam euitabit. Tertium quod præcognoſcendo futura multo ſe ante tempore contra illa apparare muniteque poterit.

B Ergo qui futura in morbis rectè præſentire voluerit, hæc tria prius obtineat neceſſe eſt.

Primo morbum exactè cognoſcat.

Secundo, virtutem ægrotantis.

C Tertio magnitudinem morbi cum ægri robore debite comparet.

Ex quibus cognitis & inuicem collatis tota prognoſeos natura exurgit.

MORBI COGNITIO.

Vſque ad vltimam differentiam ad prognoſim neceſſaria. *Cap. II.*

Principium prognoſeos & curationis morbi exacta cognitio eſt, ſine qua nihil in prognoſi & curatione veritati conſonum prædici poteſt. ex Gal. 2. meth. Neque exiſtimandum eſt leuem ac rudem morbi deſignationem, vel eius ſimplicem apprehenſionem ſufficere; ſed neceſſum eſt vt prognoſeos peritus ad vltimam morbi cognitionis differentiam deueniat; eamque dilucidè & apertè cognoſcat. v. g. in pleuritide, non ſatis eſt cognoſcere dolorem eſſe lateris; ſed poſt diligentem operam & ſedulitatem ſcire opus eſt an dolor ille ſit exquiſitus & verus, vel ſpurius, bilioſus vel pituitoſus &c. Idiopathicus vel ſympathicus; Externus vel internus: Simplex vel compoſitus: Magnus & vehemens vel lenis, &c. Quodque de vno di- A

ctum eſt de omnibus proferre licet. Verum quoniam omnes practici de morbis in particulari latius tractauerunt, ego hoc in libro de methodo generali ad particularium cognitionem aſſequendam, & ad eorum prognoſim agendam breuiter exponam.

Methodus ad cognitionem morbi.
Cap. III.

A Galenus lib. de præcognitione cap. 12. morbi cognitionem petit à cauſis externis & internis. Cognitio, inquit, morbi ſpeculatione cauſarum inueſtigatur; ab exacta verò & exquiſita morborum cognitione futurorum præcognitio colligitur.

B Lib. 4. de præſagitione ex pulſibus, ſic habet. Morbus cognoſcitur à parte affecta eiuſque diſpoſitione, facultas & virtus ex commodo temperamento vel intemperie partium ſolidarum. Vbi intemperies eſt genus, & pars affecta differentia; ex quibus cognitis & collatis proba fit morbi deffinitio, & paulò poſt ſubiungit.

Præſentium cognitio eſt affectuum inuentio, cognitio præteritorum eſt inuentio cauſarum quæ induxerunt affectus, at ex præſentibus futurorum præſagia deſumuntur. A

Sanctorius lib. 1. vitandor. error. cap. 9. morbi cognitionem petit à ſex fontibus. Tres deſumuntur ab anteriori, nempe, à cauſis procatarcticis, à cauſis internis ſeu humoribus, & à diſpoſitione patientis. Tres à poſteriori, nempe à ſymptomatis, à parte affecta, & à iuvantibus & lædentibus. Quod vltimum eſt tanquam lydius lapis, cuius beneficio ſicut aurifices aurum, ita medici morbos agnoſcunt. B

Methodus ad cognitionem partis affectæ Cap. IV.

Partis affectæ cognitio à ſex fontibus ſumitur. *A* ſitu accidentium, à propriis accidentibus, à proprietate doloris, ab actione læſa, ab excrementis, & à iuuantibus & lædentibus, ex eiuſdem authoris mente. lib. prim. cap. 11. Quod quidem C

exemplis ſit manifeſtum, v. g. quod in empyemate pectus & pulmones afficiantur, cognoſcitur; primò, à ſitu accidentium, quoniam in magna inſpiratione dolor eſt in vno vel altero latere pectoris; ſecundo à propriis accidentibus, adſunt enim perfrigerationes frequentes, ſudores *leues* in pectore, facie, collo, maxime à ſomno; quod patet experientia, & firmat hypp. libro coac. n. 1. & 3. ita & lib. 2. progn. n. 16. Tertiò à proprietate doloris, quoniam adeſt grauitas in parte, & non poteſt decumbere in latus ſanum metu ſuffocationis propter copiam materiæ pulmonem ſanum obruentis. Quartò ab actione læſa; adeſt enim ſpicandi difficultas, eo quod pulmones & muſculi pectorales à copia materiæ comprimantur, & dilatari vix queant. Quintò ab excrementis, eo quod materia puſulenta per ſputa eiiciatur maxime in vomica confirmata, & præcipuè horis matutinis poſt ſomnum. Sextò à iuuantibus & lædentibus; nam ſi becchica & pectoralia tam interna, quam exter-

ria exhibeantur, & pus excreetur, leuatur æger; ſin minus ingraueſcit. Simili quoque ratione cæteræ partes morbidæ dignoſcuntur.

De Morbis idiopathicis & ſympathicis. *Cap. V.*

Gal. lib. prim. 2. & 3. de loc. affectis cognitionem docet. Tunc affectus, inquit, proprius putandus eſt, cum permanere in parte quapiam conſpicitur; At vbi pars aliqua ſimul cum alia ſic afficitur, vt irritata vna altera irritetur vehementius, remiſſa verò irritatione quieſcat, eam per conſenſum affici ſciendum eſt. Quod exemplis clarius innoteſcit. Si ventriculus crapula & meri nimio potu grauatus laboret; tanta interdum fit per æſophagum & per neruos ſextæ coniugationis vaporum ad cerebrum effumatio ſeu ἀναθυμίασις & tenuium humorum tranſlatio, (Nam vapor teſte Gal. tenuiſſimus humor eſt.) vt ſæpius caros, lethargus ſpuria, & apoplexia periodica producantur. Firmat quotidiana experientia, & A

hyppocratis veneranda authoritas aph. 5. lib. 5. ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, conuulſus moritur, &c. eò quod ex partibus ignobilibus ad nobiles transferatur materia.

A Similiter retenta menſtrua, & adhuc magis retentum ſemen cum in matrice congeſta corrumpantur & venenoſa qualitate induantur, totius corporis reſrigeratione, lypothimias; reſpirationis & pulſuum interceptiones accerſunt; ex Gal. de loc. affect. lib. 6. cap. 5. Imò, inquit, ſi materia retenta calida & tenuis fuerit, marcores & vigilias: ſi craſſa & acris, conuulſiones & epilepſias; ſi denique melancholica, languores & mæſtitias parit. Qui affectus ſunt effectus infirmitatis vteri. Eodem modo de reliquis morbis ſympathicis diſſerendum eſt.

De Morbis ſimplicibus. *Cap. VI.*

B Morbus ſimplex & ſine ammixtione alterius fit, quando qualitas

ſola præter naturam leue imprimit partibus corporis alterationis veſtigium ſufficiens tamen ad actionum læſionem. Hic morbus curatu facilis eſt, imò naturæ ſoli committendus, ex fernel. lib. 3. cap. 12. leuiter, inquit, affecti, naturæ viuendique legibus ſunt committendi; quos enim ſponte natura perſanat fruſtra medicina fatigat. Verum quoniam ſimplices affectus raró contingunt quin complicati etiam miſceantur; de ipſorum natura & cognitione fuſius ſequenti capite pertractabimus.

De Morbis complicatis. *Cap. VII.*

Dari morbos complicatos ipſa docet experientia, firmat procerum medicorum authoritas. Hyppocr. progn. lib. prim. n. 1. Cum, inquit, ægri plerumque intereant antequam vocetur medicus, alij licet vocato medico repente moriuntur priuſquam arte ſua ſingulis morbis occurrendo reſiſtat; proinde harum affectionum naturas noſcere opor- *A*

tet, quantum videlicet corporis viribus ſint ſuperiores: quin etiam ſi diuinum quippiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere oportet, &c.

A Galenus morborum complicationem, eorumque cognitionem in lib. Methodi, de loc. affect. de different. Febrium. & alibi ſæpius edocuit. Primo autem de cryſib. complicatorum cognitionem petit à varietate excrementorum. Ait enim. Varium excrementum variis affectibus corpus detentum oſtendit, & ob hoc ipſum & diuturnum & malignum exiſtit malum. comm. vero 21. aph. ſect. 4. Excrementorum, inquit, plures colores ſi ſponte vacuentur, multarum in corpore affectionum ſunt ſigna. Donatus Abaltimarus in ſua methodo vniuerſali aſſerit morbos complicatos cognoſci à variis partibus affectis, ab inæquali & diuerſa partium diſpoſitione, & à variis quoque excrementis.

De Morbis magnis ſeu vehementibus, & lenibus ſeu benignis. *Cap. VIII.*

Morbi magni noſcuntur, ex vehementia ſymptomatum, ex præſtantia partis, & ex cacoëthia, docente Gal. lib. 4. meth. A

Morbi mites & benigni noſcuntur, quando ſymptomata ſunt lenia & benigna perſeuerante coctione; pars princeps non eſt læſa; & nulla adeſt cacoëthia. Quo tempore ſalus citò & tutò expectanda eſt: quare hypp. 3. progn. ſic ait. Mitiſſimæ febres quæ cum ſignis accidunt ſecuriſſimis quarto ſoluuntur die vel prius; ſic quæ malignitate excellunt, & cum grauiſſimis ſymptomatis accidunt, quarto die vel citius occidunt. B

De Morbis malignis. *Cap. IX.*

Morbi maligni ex omnium doctorum ſententia dignoſcuntur à diſ- C

proportione & inæqualitate ſymptomatum; hoc eſt quando ſymptomata non reſpondent morbo, v. g. ſi æger frigidus ſit exterius, & interiora vrantur; ſi puſtulæ nigræ appareant, vrinæ ſint laudabiles, calor mitis, nullaque ſitis, cum tamen lingua ſcabroſa ſit & nigra. Interdum nauſeæ; paraphrænitides, anxietates oriuntur ſine cauſa manifeſta, & inter omnia ſigna maximum eſt proſtratio virium etiam in morbi principio ſine tamen vlla aut ſaltem notabili vacuatione.

De Morbis diuinis.
Cap. X.

A Morbus diuinus dicitur quod à Deo tanquam à primaria cauſa mortalibus in punitionem ſcelerum mittatur. Quod alias Dauidi, Herodo, Anthioco, Oſiæ, Ieroboamo, multiſque aliis contigiſſe narrat ſcriptura ſacra; & Ioſephus de rebus Iudaicis, lib. 7. ſuperbia enim Dauidis quod totum populum numerandum curauerat contra ſancitum Moyſis,

iratus Deus peſtilentiam miſit à tribus malis electam (Gado propheta internuntio) quæ quidem ab hora matutina vſque ad prandium ſeptuaginta millia hominum abſumpſit, idque variis modis, nam plerique horrendo dolore & amaro cruciatu animam ſubito exhalabant; alij paulo tardius inter amicorum officia expirabant, alij præfocati exanimabantur; alij quaſi ſyderati moriebantur; nec poterat à medicis cauſa naturalis horum morborum agnoſci, quod tot homines tam ſubito & epidemicè variiſque modis occumberent: ex quibus inopinatis & impræuiſis euentibus cauſam ſuperiorem iram videlicet diuinam cogebantur agnoſcere, atque adeo ad preces & pænitentiam tanquam verum vnicumque remedium confugere.

Hac cognitione adductus Rex ſacrum inditus & humi proſtratus ſupplex Deum örauit vt peſtem ſedaret. Elatis autem oculis vidit in aëre Angelum Dei ſtricto gladio populum cædentem, qui magis exclamans ſe paſtorem pæna dignum gre- *A*

quid pathologia, quid ſimiſtica, Ὑγι-εινὴ, & θεραπευτικὴ, altum & eruditum comprehendunt? quod ad futura præſentienda non ſit neceſſarium. Quæcumque enim in phiſiologia pertractantur, elementa corporis, temperamenta, humores, partes, facultates, actiones, ſpiritus: quæ in pathologia, cauſæ externæ & internæ, morborum ſpecies, natura &c, quæ in ſimiotica, ſymptomata actiones videlicet læſæ, color mutatus, & excrementa mutata eorumque coctiones, & cruditates: ea, inquam, omnia à preſagientibus cognoſci apprimè debent.

A Demum Ὑγιεινὴ & θεραπευτικὴ quatenus iuuantia & lædentia tum alimenta tum medicamenta, tam ſimplicia quam compoſita continent, ad prognoſim agendam neceſſaria ſunt; quoniam ad morbi cognitionem, partiſque affectæ notitiam conducunt. Omitto longam experientiam, prudentiam, ſolertiam, & ſedulitatem non vulgarem penitus neceſſariam. Quare cum pauci hiſce omnibus cognitionibus & donis prædìti re-

periantur;quid mirum, ſi pauci quoque hanc agendæ prognoſis rectam rationem vix conſequantur.

A Non ergo immeritò Galenus bene præſagientem medicum optimum vocat, libr. de conſtit. art. medic. ſola, firmat, optimi medici præſagia curante quidem ipſo euenire, ægroto autem nihil delinquente. Et comm. prim. progn. præſtantiſſimum appellat; Tunc præſagia, inquit, ſunt euentura, vbi & medicus præſtantiſſimus fuerit, & in nullo æger delinquat. Primò de diebus decretor. Generoſum. Generoſi Medici eſt vti diem, ſic etiam cryſis horam prædicere. Quintò lib. de loc. affectis.

B Conſummatum cum coram Glaucone, ait, morbum ſiculi medici, partem affectam, & eius euentum prædixiſſem, valde me admirabatur, vt pote cum conſummatis in arte viris verſari nunquam conſueuiſſet. Demum hyppocrates præſagientem medicum prudentem vocat pr. prognoſt. num. 1. nihil, inquit, magis medico conducibile cenſeo,

quam vt prudentem ſe in omnibus gerat; Galen. in comm. prouidentem vertit.

A Tria enim ex præuiſione bona oriuntur primum quod magis obſequentes reddat ægrotantes & maiorem habeant medico confidentiam: ſecundum quod culpa futuræ mortis in ipſum non reiicitur, nam morituros victuroſque præſentiens atque prænuntians omnem prorſus calumniam euitabit. Tertium quod præcognoſcendo futura multo ſe ante tempore contra illa apparare muniteque poterit.

B Ergo qui futura in morbis rectè præſentire voluerit, hæc tria prius obtineat neceſſe eſt.

Primo morbum exactè cognoſcat.

Secundo, virtutem ægrotantis.

C Tertio magnitudinem morbi cum ægri robore debite comparet.

Ex quibus cognitis & inuicem collatis tota prognoſeos natura exurgit.

MORBI COGNITIO.

Vſque ad vltimam differentiam ad prognoſim neceſſaria. *Cap. II.*

Principium prognoſeos & curationis morbi exacta cognitio eſt, ſine qua nihil in prognoſi & curatione veritati conſonum prædici poteſt. ex Gal. 2. meth. Neque exiſtimandum eſt leuem ac rudem morbi deſignationem, vel eius ſimplicem apprehenſionem ſufficere; ſed neceſſum eſt vt prognoſeos peritus ad vltimam morbi cognitionis differentiam deueniat; eamque dilucidè & apertè cognoſcat. v. g. in pleuritide, non ſatis eſt cognoſcere dolorem eſſe lateris; ſed poſt diligentem operam & ſedulitatem ſcire opus eſt an dolor ille ſit exquiſitus & verus, vel ſpurius, bilioſus vel pituitoſus &c. Idiopathicus vel ſympathicus; Externus vel internus: Simplex vel compoſitus: Magnus & vehemens vel lenis, &c. Quodque de vno di- A

ctum eſt de omnibus proferre licet. Verum quoniam omnes practici de morbis in particulari latius tractauerunt, ego hoc in libro de methodo generali ad particularium cognitionem aſſequendam, & ad eorum prognoſim agendam breuiter exponam.

Methodus ad cognitionem morbi.
Cap. III.

A Galenus lib. de præcognitione cap. 12. morbi cognitionem petit à cauſis externis & internis. Cognitio, inquit, morbi ſpeculatione cauſarum inueſtigatur; ab exacta verò & exquiſita morborum cognitione futurorum præcognitio colligitur.

B Lib. 4. de præſagitione ex pulſibus, ſic habet. Morbus cognoſcitur à parte affecta eiuſque diſpoſitione, facultas & virtus ex commodo temperamento vel intemperie partium ſolidarum. Vbi intemperies eſt genus, & pars affecta differentia; ex quibus cognitis & collatis proba fit morbi deffinitio, & paulò poſt ſubiungit.

Præſentium cognitio eſt affectuum inuentio, cognitio præteritorum eſt inuentio cauſarum quæ induxerunt affectus, at ex præſentibus futurorum præſagia deſumuntur. A

Sanctorius lib. 1. vitandor. error. cap. 9. morbi cognitionem petit à ſex fontibus. Tres deſumuntur ab anteriori, nempe, à cauſis procatarcticis, à cauſis internis ſeu humoribus, & à diſpoſitione patientis. Tres à poſteriori, nempe à ſymptomatis, à parte affecta, & à iuvantibus & lædentibus. Quod vltimum eſt tanquam lydius lapis, cuius beneficio ſicut aurifices aurum, ita medici morbos agnoſcunt. B

Methodus ad cognitionem partis affectæ Cap. IV.

Partis affectæ cognitio à ſex fontibus ſumitur. *A* ſitu accidentium, à propriis accidentibus, à proprietate doloris, ab actione læſa, ab excrementis, & à iuuantibus & lædentibus, ex eiuſdem authoris mente. lib. prim. cap. 11. Quod quidem C

exemplis fit manifeſtum, v. g. quod in empyemate pectus & pulmones afficiantur, cognoſcitur; primò, à ſitu accidentium, quoniam in magna inſpiratione dolor eſt in vno vel altero latere pectoris; ſecundo à propriis accidentibus, adſunt enim perfrigerationes frequentes, ſudores leues in pectore, facie, collo, maxime à ſomno; quod patet experientia, & firmat hypp. libro coac. n. 1. & 3. ita & lib. 2. progn. n. 16. Tertiò à proprietate doloris, quoniam adeſt grauitas in parte, & non poteſt decumbere in latus ſanum metu ſuffocationis propter copiam materiæ pulmonem ſanum obruentis. Quartò ab actione læſa; adeſt enim ſpirandi difficultas, eo quod pulmones & muſculi pectorales à copia materiæ comprimantur, & dilatari vix queant. Quintò ab excrementis, eo quod materia purulenta per ſputa eiiciatur maxime in vomica confirmata, & præcipuè horis matutinis poſt ſomnum. Sextò à iuuantibus & lædentibus; nam ſi becchica & pectoralia tam interna, quam exter-

ſia exhibeantur, & pus excreetur, leuatur æger; ſin minus ingraueſcit. Simili quoque ratione cæteræ partes morbidæ dignoſcuntur.

De Morbis idiopathicis & ſympathicis. *Cap. V.*

Gal. lib. prim. 2. & 3. de loc. affe- *A*
ctis cognitionem docet. Tunc affectus, inquit, proprius putandus eſt, cum permanere in parte quapiam conſpicitur; At vbi pars aliqua ſimul cum alia ſic afficitur, vt irritata vna altera irritetur vehementius, remiſſa verò irritatione quieſcat, eam per conſenſum affici ſciendum eſt. Quod exemplis clarius innoteſcit. Si ventriculus crapula & meri nimio potu grauatus laboret; tanta interdum ſit per æſophagum & per neruos ſextæ coniugationis vaporum ad cerebrum effumatio ſeu ἀναθυμίασις & tenuium humorum tranſlatio, (Nam vapor teſte Gal. tenuiſſimus humor eſt.) vt ſæpius caros, lethargus ſpuria, & apoplexia periodica producantur. Firmat quotidiana experientia, &

hyppocratis veneranda authoritas aph. 5. lib. 5. ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, conuulſus moritur, &c. eò quod ex partibus ignobilibus ad nobiles transferatur materia.

A Similiter retenta menſtrua, & adhuc magis retentum ſemen cum in matrice congeſta corrumpantur & venenoſa qualitate induantur, totius corporis refrigeratione, lypothimias; reſpirationis & pulſuum interceptiones accerſunt; ex Gal. de loc. affect. lib. 6. cap. 5. Imò, inquit, ſi materia retenta calida & tenuis fuerit, marcores & vigilias: ſi craſſa & acris, conuulſiones & epilepſias; ſi denique melancholica, languores & mæſtitias parit. Qui affectus ſunt effectus infirmitatis vteri. Eodem modo de reliquis morbis ſympathicis diſſerendum eſt.

De Morbis ſimplicibus. *Cap. VI.*

B Morbus ſimplex & ſine ammixtione alterius ſit, quando qualitas

ſola præter naturam leue imprimit partibus corporis alterationis veſtigium ſufficiens tamen ad actionum læſionem. Hic morbus curatu facilis eſt, imò naturæ ſoli committendus, ex fernel. lib. 3. cap. 12. leuiter, inquit, affecti, naturæ viuendique legibus ſunt committendi; quos enim ſponte natura perſanat fruſtra medicina fatigat. Verum quoniam ſimplices affectus rarò contingunt quin complicati etiam miſceantur; de ipſorum natura & cognitione fuſius ſequenti capite pertractabimus.

De Morbis complicatis. *Cap. VII.*

Dari morbos complicatos ipſa docet experientia, firmat procerum medicorum authoritas. Hyppocr. progn. lib. prim. n. 1. Cum, inquit, ægri plerumque intereant antequam vocetur medicus, alij licet vocato medico repente moriuntur priuſquam arte ſua ſingulis morbis occurrendo reſiſtat; proinde harum affectionum naturas noſcere opor- A

tet, quantum videlicet corporis viribus ſint ſuperiores: quin etiam ſi diuinum quippiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere oportet, &c.

A Galenus morborum complicationem, eorumque cognitionem in lib. Methodi, de loc. affect. de different. Febrium. & alibi ſæpius edocuit. Primo autem de cryſib. complicatorum cognitionem petit à varietate excrementorum. Ait enim: Varium excrementum variis affectibus corpus detentum oſtendit, & ob hoc ipſum & diuturnum & malignum exiſtit malum. comm. vero 21. aph. ſect. 4. Excrementorum, inquit, plures colores ſi ſponte vacuentur, multarum in corpore affectionum ſunt ſigna. Donatus Abaltimarus in ſua methodo vniuerſali aſſerit morbos complicatos cognoſci à variis partibus affectis, ab inæquali & diuerſa partium diſpoſitione, & à variis quoque excrementis.

De Morbis magnis ſeu vehementibus, & lenibus ſeu benignis. *Cap. VIII.*

Morbi magni noſcuntur, ex vehementia ſymptomatum, ex præſtantia partis, & ex cacoëthia, docente Gal. lib. 4. meth. A

Morbi mites & benigni noſcuntur, quando ſymptomata ſunt lenia & benigna perſeuerante coctione; pars princeps non eſt læſa; & nulla adeſt cacoëthia. Quo tempore ſalus citò & tutò expectanda eſt: quare hypp. 3. progn. ſic ait. Mitiſſimæ febres quæ cum ſignis accidunt ſecuriſſimis quarto ſoluuntur die vel prius; ſic quæ malignitate excellunt, & cum grauiſſimis ſymptomatis accidunt, quarto die vel citius occidunt. B

De Morbis malignis. *Cap. IX.*

Morbi maligni ex omnium doctorum ſententia dignoſcuntur à diſ- C

proportione & inæqualitate ſymptomatum; hoc eſt quando ſymptomata non reſpondent morbo, v. g. ſi æger frigidus ſit exterius, & interiora vrantur; ſi puſtulæ nigræ appareant, vrinæ ſint laudabiles, calor mitis, nullaque ſitis, cum tamen lingua ſcabroſa ſit & nigra. Interdum nauſeæ, paraphrænitides, anxietates oriuntur ſine cauſa manifeſta, & inter omnia ſigna maximum eſt proſtratio virium etiam in morbi principio ſine tamen vlla aut ſaltem notabili vacuatione.

De Morbis diuinis.
Cap. X.

A Morbus diuinus dicitur quod à Deo tanquam à primaria cauſa mortalibus in punitionem ſcelerum mittatur. Quod alias Dauidi, Herodo, Anthioco, Oſiæ, Ieroboamo, multiſque aliis contigiſſe narrat ſcriptura ſacra; & Ioſephus de rebus Iudaicis, lib. 7. ſuperbia enim Dauidis quod totum populum numerandum curauerat contra ſancitum Moyſis,

iratus Deus peſtilentiam miſit à tribus malis electam (Gado propheta internuntio) quæ quidem ab hora matutina vſque ad prandium ſeptuaginta millia hominum abſumpſit, idque variis modis , nam plerique horrendo dolore & amaro cruciatu animam ſubito exhalabant;alij paulo tardius inter amicorum officia expirabant,alij præfocati exanimabantur; alij quaſi ſyderati moriebantur; nec poterat à medicis cauſa naturalis horum morborum agnoſci, quod tot homines tam ſubito & epidemicè variiſque modis occumberent : ex quibus inopinatis & impræuiſis euentibus cauſam ſuperiorem iram videlicet diuinam cogebantur agnoſcere, atque adeo ad preces & pænitentiam tanquam verum vnicumquè remedium confugere.

Hac cognitione adductus Rex ſacrum inditus & humi proſtratus ſupplex Deum orauit vt peſtem ſedaret. Elatis autem oculis vidit in aëre Angelum Dei ſtricto gladio populum cædentem , qui magis exclamans ſe paſtorem pæna dignum gre- A

ges autem nihil commeruiſſe, effunderet iram ſuam in ſe ac ſui ipſius familiam, & innocenti populo parceret: Ex Gadi monitu, in aream Areunæ Iebuſæi ſtatim progrediens, extructo altari ſacrificauit: (eſt autem idem locus vbi Abrahamus filium Iſaac ſacrificandum adduxerat) & hoſtia placatus Dominus continuit Angelum, & cohibita eſt plaga ab Iſraël ex libr. 2. regum cap. 24. & ex Ioſepho de rebus Iudaicis lib. 7. cap. 10.

A Simili quoque ratione Oſias lepra afflictus eſt quod contra legem ſacrificaſſet. Ioramus propter impietatem cruciatu inteſtinorum lethali correptus eſt: Ieroboam paralyſi manus, quod eam extendiſſet contra prophetam. Paralyticum in piſcina Deus ſanauit, qui hoc morbo per triginta quinque annos pro peccati pæna laborauerat; cui propitius dixit: *Tolle grabatum tuum & ambula, & noli amplius peccare ne deterius aliquid tibi contingat.*

B Eſt ergo peccatum ſæpiſſimè primaria morbi cauſa, quod primum

eradicandum & extirpandum eſt, antequam ſanitatem conſequi valeamus. Quandiu Ionas in naue permanſit, tamdiu nauis diris ventorum æſtuumque procellis fuit agitata: ita quandiu peccatum ægrotantem detinuerit; tandiu duriſſimo Dei flagello, morbo ſcilicet, cruciabitur, donec in mare pænitentiæ ſubmerſum & extinctum fuerit. Sed vera & ſincera pænitentia agenda eſt, non autem ficta & ſimulata vt Anthioco contigit, qui rogabat ſceleſtus Deũ à quo non erat miſericordiam conſequuturus.

Ergo verum eſt morbos diuinos dari, qui nullis remediis naturalibus curari poſſunt imò neque cognoſci: quippe qui variis laruis, variis fucis variiſque ſymptomatis ſibi contrariis operti & obnubilati medicorum oculis ſint. Quod primus omnium agnouit hypp. qui quadringentos circiter annos ante Chriſti natiuitatem ſic fatus eſt. Prim. progn. n. 1. quin etiam ſi Diuinum quippiam morbis ineſt huius quoque prouidentiam perdiſcere oportet. A

De Morbis Diabolicis.
Cap. X I.

A Morbus Diabolicus eſt quando Dæmon data ſibi à Deo poteſtate homines crudeliſſimis affectibus torquet; dum nempe noxios corporis humores ab ignobilibus partibus ad nobiles tranſmutat; vel dum elementorum & humorum corruptorum mixtiones naturæ noſtræ inſenſas & anthypaticas producit. Iobus vlcere peſſimo à ſatana correptus eſt, cuius inſigni putredine vermiumque fætore ab omnibus derelictus, ſola in Deũ habita fiducia precibus & patientia mirabili ſanatus eſt.

B Aliquando Dæmon intro ſubit in corpus quod ex ſcripturæ locis colligitur. *Domine filia mea malè à Dæmonio torquetur. In nomine tuo eiecimus Dæmonia. Eiecto Dæmone loquutus eſt mutus, &c.* Noſcitur quod effectus producat naturæ limites & poteſtatem tranſcendentes: ſacris diuiniſque verbis & ceremoniis inhorreſcat & ferocius torqueatur;

ſecreta detegat & interdum variis linguis inſuetisque loquatur. Lege Fernel. de abdit. rerum cauſis lib. 2. cap. 16. Ioannem Hucherum, Cardanum, PetrumTholoſanum, & multos alios qui de hac materia latius ſcripſerunt.

De Morbis veneficis.
Cap. X I I.

Morbi venefici dicuntur qui à veneficis dictis, ſortilegis, ſtrigonibus, ſriolis, incantatoribus, lamiis, pacto cum Dæmone inito tacito vel expreſſo hominibus infliguntur. Sortilegos autem & magos fuiſſe firmat ſcriptura ſacra. De Pythoniſſa ventriloqua quæ Samuelem mortuum arte magica evocavit. De Nabuchodonoſore Rege qui magos conſuluit. De Pharaonis magis qui miracula Moyſis ſuis artibus imitabantur. A

Quod autem pacto cum Dæmone tacito vel expreſſo in rerum natura mira operentur; teſtis eſt laqueolus in coniugatis per verba aliquot prolata nodatus. Vidi ergo confratrem B

medicum hæmorrhagiam omnibus remediis naturalibus haud obſequentem ſcripto in fronte ægri vnico verbo cum palea in ſanguine intincta repente perſanaſſe. Vidi multos recitata oratione in aruo clauſos eſſe, nec ſine ope & auxilio potuiſſe eximi.

Infinita ſunt eiuſdem naturæ quæ breuitatis cauſa omitto. Vnum ſit inſtar mille quod vidiſſe reffert Zacut. Luſitanus lib. 3. prax. admirandæ cap. 139. de puella cuius imaginem cera confictam ſortilegi verbis prolatis cum acubus & aculeis varie compunxerunt; Data ipſis mercede à iuuene indignabundo, quod cum dictam puellam longo tempore veluti amens deperiiſſet, ſolùm ex amore deſpectum, irriſum, & contemptum retuliſſet. Quo facto miſera inſons ſæuiſſimis doloribus eſt afflicta, iiſque ita infandis vt aculeis transfigi videretur; cumque malum remediis medicis ingraueſceret, ſolo magico fuit perſanatum. Vnus enim ſe eam ſanaturum propoſita magna mercede pollicitus eſt; dicens vt ad-

uentāte paroxiſmo vocaretur, ſic factum. Nam cum acceſſio ferociter inualeſceret, conuocatur ipſe, qui ſuper caput ægræ prius abraſum impoſuit papyraceam cartham albiſſimam, in qua ſcriptæ erant litteræ binæ. T. M. & impoſuit vngulam aſini ſemicombuſtam, & aliqua verba ad eius aurem obmurmurans, illam ab inſultu & omni ſymptomate in poſterum liberauit.

A Quare morbi cauſam trans naturam habentes arti medicæ ſubiici nequeunt; ſed remediis trans naturam curantur; magicis vel diuinis. At hanc vltimam rationem ſequi chriſtianum decet.

De Morbis mortalibus.
Cap. XIII.

B Nota: morbos alios eſſe abſolutè mortales, qui nullis remediis naturalibus, nullaque ope adhibita ſuperari poſſunt: alios eſſe mortales ſecundum quid; qui ex ſua quidem natura curabiles ſunt; ſed quia omni ope & auxiliis conuenienter & tem-

peſtiuè adhibitis æger deſtitutus eſt, vel cum ipſa habeat aſſumere, recuſat, mortales fiunt. Noſcuntur ergo abſolutè mortales; primo imbecillitate virium, ſecundo ex cruditatibus continuis; tertio ex morbi magnitudine, malignitate, & celeri motu ait enim tertio cryſ. Gal. primũ & maximum morbis mortalibus ſignum quod abſque cryſi mors ſit ſubſequutura, eſt virium imbecillitas; ſecundum, ſi nullum adſit ſignum coctionis; tertium, ſi morbus ſit magnus, malignuſque & moueatur celeriter, tunc enim abſque cryſi mors cito ſubſequetur.

A Guido vero aſſerit morbos tripliciter eſſe lethales. Primò eſſentia ſua magnitudine & malignitate ſuperans naturam. Secundo quia æger non vult, aut non poteſt, non vult præſcripta facere ob moroſitatem: tertio quia non poteſt habere ea quæ ad curationem ſunt neceſſaria ob paupertatem.

B Etenim nemo in vniuerſum mori poteſt, niſi à morbo natura ſuperetur, neque ſanari niſi à natura mor-

bus vincatur docente Gal. 3. de cryſibus. Quia à fortiori agente ſtat victoria ex philoſopho.

De Morbis ſanabilibus. *Cap. XVII.*

Morbi ſanabiles triplici quoque ratione noſcuntur. Prim. quando vires ſunt ſemper robuſtæ: 2. quando coctiones perſeuerant per totum morbi decurſum. 3. quando morbus mitis & benignus eſt eſſentia ſua: hoc eſt, quando ſymptomata ſunt levia, pars princeps non eſt læſa, & nulla adeſt cacoëthia. De coctionibus autem ſic habet hypp. progn. lib. 2. n. 11. vrina, inquit, ſi ſedimentum album habuerit leve, & æquale per totum morbi decurſum ſecuritatem, & morbum fore breuem denuntiat. Gal. vero 3. cryſ. aſſerit ſe neminem vnquam vidiſſe qui coctionibus præuiis iudicatis fuerit mortuum eſſe. A

Et quando quidem qui ſanantur omnia morbi tempora pertranſeunt; Ideo ad bonam prognoſim agendam B

tempora morborum à medico præſagiente veniunt cognoſcenda.

Temporum morbi cognitio. *Cap. XV.*

A Quilibet morbus quatuor habet tempora, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem ex Gal. prim. de cryſ. de temporib. morbor. de different. febrium. & alibi paſſim. Intellige de morbis ſanabilibus qui omnia ſua tempora neceſſario pertranſeunt: nam morbi lethales ad declinationem veram & propriam nequaquam pertingunt. Imò in vigore vt plurimum ægrum iugulant, & interdum in augmento, imò & in principio quando ſcilicet morbus malignissimus in partem nobilem inſiliendo ipſam ſubitò opprimit & ſuffocat.

B Principium morbi totum tempus dicitur quo morbus eſt crudus: quod docet Gal. prim. de cryſ. proprium, inquit vniuſcuiuſque morbi principium concoctionis ſignis determinatur, poteſtque ad multos quater-

miones extendi; cæterum tunc finietur cum primo concoctionis ſigna apparuerint. Lib. verò de totius morbi temporib. ſic habet. Oſtendimus autem totius morbi principium cruditatem exiſtere. Et paulò poſt ſubiungit; tempora morborũ non aliunde quam & cruditatis coctioniſque ſignis deprehenduntur quæ ex recrementis petũntur. Quamuis hypp. videatur à magnitudine ſymptomatum & non à coctionibus, morborum tempora deſumere; in principio, inquit, omnia imbecilliora; cum verò conſiſtuht, fortiora; ſed hoc intellige penes ſymptomata non penes eſſentiam vt verbis Galeni & Vazandæi vtar.

Augmenti morbi cognitio.

Augmentum morbi digneſcitur quando coctio incipit apparere, vnde Gal. prim. de cryſ. ait, ſi ſtatim in prima die appareat aliquod ſignum coctionis, iam hic principium tranſgreſſum eſt; & paulo poſt ſubiungit, tunc principium finietur cum primò A

concoctionis ſigna apparuerint. Eod. lib. augmenti & declinationis cognitionem petit ex comparatione acceſſionum ad inuicem in intermittentibus, vel exacerbationum in continuis. Quando, inquit acceſſio in intermittentibus, vel exacerbatio in continuis anticipat, longior eſt, & vehementior maligniorque tunc augmentum morbi eſt, ſicut è contrariò cum retardat, breuior eſt, mitior, toleratuque facilior tunc declinatio morbi eſt.

Vigoris ſeu ſtatus cognitio.

A Vigor morbi ſeu ſtatus noſcitur, quando acceſſiones magnitudine ſunt æquales & ſymptomata ſunt vehementiſſima ex hypp. 30. aph. ſect. 2. dignoſcitur quoque à ſpecie morbi, anni tempore, & tempeſtate ex hypp. 12. aph. ſect. 1. morbi, inquit, ipſi, anni tempora, & periodorum inter ſe collatarum vires, vigorem morbi indicabunt.

B Vigor morbi ſanabilis noſcitur ex Gal. comm. 22. aph. lib. 4. à perfe-

ĉta videlicet coctione, & notabili humoris cocti vacuatione, nec enim inquit, fieri poteſt vt nulla materia morbifica vacuata morbus declinet. Quare ſi quis poſt peractam coctionem retentis humoribus noxiis ob debilitatem expultricis moriatur, vt purulentis, pleuritide laborantibus & ſimilibus ſæpius accidit, is non in declinatione ſed in ſtatu mori cenſendus eſt.

Vigor morbi lethalis noſcitur quãdo cum ſymptomatis vehementiſſimis vires perſeuerant imbecillæ cum aliqua tamen coctione ſed non perſeverante & ſine vlla aut ſaltem notabili humoris peccantis & cocti vacuatione. A

Declinationis morbi cognitio.

Declinatio morbi duplex ab omnibus doctoribus conſtituitur; vna vera, ſpuria altera; vera declinatio cognoſcitur quando ex 3. de cryſ. poſt multam materiæ morbificæ vacuationem acceſſiones, vel exacerbationes retardant, ſymptomata B

ſunt mitiora, breuiora; & toleratu faciliora; coctiones perfectæ, & perſeuerantes, vires reparantur, appetitus incipit, & aſſumpto cibo æger reffocillatur. Quod firmat Gal. comm. aph. 8. ſect. 2. ſed præcipuè ex eo quod pulſus ſit vehementior, æqualior, ordinatior, & mollior, quæ mollities coctionem arguit humoris ex prim. lib. ad Glauc.

A Spuria declinatio cognoſcitur quando ſine vacuatione notabili materiæ morbificæ acceſſiones in intermittentibus, vel exacerbationes in continuis, fiunt breuiores & tardiores, ſymptomata mitiora & benigniora, coctio tamen minor quam fuerit in vigore; quæ quidem interdum nulla apparet; & licet febris vel remiſerit vel ceſſarit, & æger alimenta ſumat copioſiora, vires tamen eius non corroborantur 8. aph. ſect. 2. & 31. ſect. 2. pulſus ſit debilior, inæqualior, præcipuè durior ob reſiduam videlicet craſſitiem ex prim. de different. febr. quo tempore purgationem conſulit hypp. 8. aph. ſect. 2. ob vitandam recidiuam, &

poſt

poſt ipſum Gal. in comm. & alibi paſſim.

Quæſtio. an in declinatione mori æger poſſitus ? Cap. XVI.

In vera morbi declinatione nullus vnquam moritur propria morbi eſſentia ſed ob errorem commiſſum; quandoquidem vbi ſtatus morbi præteriit, natura euaſit ſuperior alioquin non declinaſſet morbus 3.cryſi ſubiungit, nullum periculum eſt ſtatus tempore elapſo quantum iudicio aſſequi poſſum ; qui verò perierunt in declinationibus , omnes hi aut proprio ſunt, aut errore adſtantium, aut medicorum extincti nequaquam verò vi morbi : vbi enim natura ſuperior euaſit , reſtititque vehementiori morbi conatui, & quæ infeſtabant oppreſſit (hoc enim eſt ipſa coctio) fieri non poteſt vt deinceps ſuccumbat ; quod ſi à morbo non vincatur natura mortem ſubſequi nullo modo contingit; ſiquidem nihil aliud mors eſt quam omnimoda naturæ proſtratio, *A*

In ſpuria verò declinatione mori
A æger poteſt, primò quia materia morbifica non eſt omnimode euicta; hinc fit, vt reſidua craſſities de nouo inflammetur, febris augeatur, & æger debilior factus ſæpius enecetur. 2. ob vires etiam animales imbecillas maximè in morbis pectoris, in quibus præ imbecillitate materia etiam cocta euacuari non poteſt per ſputa, quia non ſolum ad expectorationem, naturali facultate coctrice & expultrice robuſtis opus eſt, ſed etiam animali robore quod muſculorum beneficio perficitur. ex 2. progn. quare à Gal. rectè prolatum eſt, ſi qua in morbis pectoris ſalutis ſpes eſt, ea tota in virium robore poſita eſt.

B Hic nota cum *Zacuto Luſitano* morbos abdominis & venarum facultate naturali expultrice robuſta egere; quia in his per expultricem naturalem fit cryſis nihil iuuante animali: Morbos vero pectoris facultate animali robuſtiore opus habere, quia ſputum muſculorum beneficio eiicitur.

C Ex ſupra citatis hypp. & Gal. lo-

cis atque ſententiis morbi ſimplices & complicati, Idyopathici & ſympathici, magni & benigni, maligni, diuini, diabolici, venefici, mortales & ſanabiles, & quatuor cuiuſque morbi tempora in genere & in communi tradita facilè ſignis allatis dignoſci poſſunt. Sed quia ad prognoſim belle peragendam ipſam morbi magnitudinem cum ægri facultate conferre neceſſe eſt; examinata ſuperius morbi eſſentia, ſpecie, magnitudine, & malignitate: reliquum eſt vt virium eſſentiam in quibus pars 2. prognoſeos conſiſtit, examinemus.

PARS SECVNDA.

Prognoſeos conſtitutiua cognitio virium.

Virium & facultatum eſſentia. Cap. I.

Vires corporis dupliciter ſumuntur, vel pro calido innato, ſeu

calore naturali, & facultate inſita.
Vel pro calore influente, ſeu facultate communi. Et hæc triplex eſt naturalis, vitalis, & animalis.

Calidum innatum, quod & calor
A naturalis, inſitus, & humidum primigenium dicitur, eſt ſubſtantia calida & humida, pinguis, ſpiritu perfuſa, ex vtroque parentum ſemine genita primarium actionis inſtrumentum: principium motus & quietis, verum & proprium animæ organum quod in ſingulas fœtus partes efformandas primario ingreditur, plus aut minus pro dignitate ſingularum & quod in accretione corporis extenditur. In pueris autem copioſius eſt, vt ſcitè docet hypp. aph. 14. ſect. 1. deinde verò pro mutatione ætatum ſenſim imminuitur & contabeſcit; huic alendo, conſeruando, & firmando cæteræ facultates ſeu vires, quas influentes & communes vocamus inſeruiunt: ipſum naturalis alit; vitalis reparat; animalis autem confirmat. Ex his patet facultatem communem ſeu calorem influentem ſpiritum eſſe, ſeu ſubſtan-

tiam ſpirituoſam aptam & idoneam ad reparationem calidi innati à principibus partibus generatam. Sic autem exponit fernel. lib. 2. meth. cap. 9. facultatum, inquit, viriumque corporis aliæ ingeneratæ ſunt & inſitæ, aliæ communes & influentes. Inſitarum atque innati calidi vnam eandemque. haberi eſſentiam eamque naturam appellari, & ex innato ſpiritu & humido primigenio conflari, cui ſolida partium ſubſtantia tanquam materia ſubſternatur alias planum effecimus: Communium verò vagarumque eſſentias è tribus principiorum fontibus emanare, triplicique ſpiritu in totum corpus; Animalem è cerebro per neruos; vitalem è corde per arterias; naturalem à iecore per venas effundi oſtendimus. Quo loci demonſtratum eſt vires ingenitas ſingulis partibus ab influentibus reparari & ſuſtineri; totum vero animal ab vtrique gubernari.

Virium & facultatum numerus & domicilium.
Cap. II.

A Vires ergo ſeu facultates corporis vt patet cap. 1. duplices ſunt; aliæ inſitæ, ſeu ingenitæ: aliæ influentes ſeu communes. De inſitis ſeu ingenitis ſic loquitur Gal. lib. 5. de loc. affect. cap. 7.

B Sciendum eſt, inquit, in ſingulis noſtri corporis partibus quatuor ineſſe facultates naturales, nempe attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem; quæ miniſtrãtes ſunt & famulæ caloris natiui ſeu humidi primigenij in ſingulis quoque corporis partibus ab origine reſidentis. Repetit. de different. febr. lib. 2. cap. 10. de temperamentis. 3. & alibi.

C De influentibus autem ſic habet lib. 9. meth.

D Tres ſunt in corpore noſtro facultates ſeu animæ corpus noſtrum gubernantes. Prima naturalis iecur pro fonte habet, per venaſque illinc ſpar-

ſas per vniuerſum corpus id alit. Secunda, vitalis in corde fonte caloris inſiti reſidet, ab hoc per arterias in totum corpus diſſeminatur. Tertia animalis ſeu ratiocinatrix in cerebro domicilium habet, quæ per neruos ſeu per canales toti corpori motum & ſenſum largitur; has autem facultates ſeruare nihil aliud eſt quam vitam cuſtodire, vna verò earum amiſſa neceſſum eſt cæteras quoque perire.

Methodus ad cognitionem roboris vel imbecillitatis. *Cap. III.*

Robur facultatum petitur ab actionibus, quia actiones fiunt à facultatibus: Vnde Gal. de conſtit. art. medic. ſic, ait. Naturæ robur ex propriis actionibus depræhendes maximè verò ex pulſu, ſi quidem is facultatis vitalis eſt opus: Morbi vero magnitudinem cognoſces ex ſuis ſymptomatis. Idem repetit. lib. de curand. ratione per ſanguin. miſſion. facultatum robur vel imbecillitas, A

ait, propriis indicatur functionibus; voluntariis quidem, illius quæ in neruis cerebroque conſiſtit; pulſificis, eius quæ in corde ac per arterias mouetur; Nam ſecundum bonam nutritionem vel prauam, colorem bonum vel prauum tertia facultas nutrix, quæ à iecore proficiſcitur cognoſcenda venit.

Actionis animalis robuſta, vel debilis cognitio.
Cap. IV.

A Actionis animalis robur noſcitur, ſi æger bene imaginetur, ratiocinetur, & memoretur; docente hypp. aph. 33. ſect. 2. In morbis, inquit, mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum; contraria vero, malum.

B Imbecillitas arguitur ſi æger actiones imminuté obierit, vna enim eſt ex tribus læſionibus imminutis, depravatis, & abolitis vt ſcitè docet Galen. lib. de arte.

C Simili quoque ratione noſcitur robur vel imbecillitas facultatis ani-

malis prout æger ægrè vel bene ſentit & mouetur; vt patet aph. 49. ſect. 4. ſi os vel labrum vel oculus peruertatur, vel non audiat, vel non videat iam debili exiſtēte corpore quidquid horum acciderit, mors in proximo eſt.

Actionis vitalis robuſtæ vel debilis cognitio. Cap. V.

Actio vitalis à pulſu tantum dignoſcitur. Vnde Gal. de conſtit. artis medic. ſic, ait. Naturæ robur ex propriis actionibus depræhendes, maxime vero ex pulſu, ſiquidem is facultatis vitalis eſt opus. Morbi vero magnitudinem cognoſces ex ſuis ſymptomatis. At quatenus alterum altero prævalet cōcoctio cruditaſque indicabit, quas ſubinde ex propriis recrementis cognoſces. Quæ enim in ventriculo concoctiones fiunt deiectiones commonſtrant; quæ in venis humores; quæ in toto corpore ſudores: quibus omnibus commune eſt morbum nunquam ſolui poſſe niſi prius in excrementis concoctionis ſigna cernantur, &c. A

Pulſus ergo cordis opus, & vitalis
A facultatis robuſtæ aut debilis ſignum laudabilis eſt; qui magnus, vehemẽs, & æquabilis exiſtit. Quod firmat Gal. lib. de venæ ſectione; At pulſus, inquit, magnus vehemens & æqualis incorruptum virium robuſtarum eſt ſignum: quare ſi in ſeptuagenariis is adſit, affectuſque iubeat, etiam ſecabis venam: proinde non annorum numero ſed corporis habitui animus eſt intendendus. Lib. vero cauſis pulſ. ait.

B Facultatum robur neceſſario pulſum vehementem facit, infirmitas, languidum. & primo de præſagitione ex pulſibus pulſus, inquit, vehemens à facultatis ſemper robore fit, proinde quantò vehementior fuerit tantò facultatis maius eſſe robur ſignificabit: languidus vero pulſus à facultatis imbecillitate oritur; quare quantò languidior erit, tanto maiorem imbecillitatem facultatis vitalis ſignificabit.

C Ergo à poſteriori valet conſequentia pulſus eſt vehemens, ergo robuſtus eſt æger: Econtrà languidus eſt

ergo imbecillus eſt æger. lib. vero 4. de præſagitione ex pulſib. ait, magnitudo pulſus copiam contenti ſanguinis ſignificat. In ſanis autem pulſus in mediocritate conſiſtit.

Actionis naturalis robuſtæ vel debilis cognitio.
Cap. VI.

Actio naturalis in vniuerſum triplex eſt, nutritio, accretio, & generatio. Hic vero non de accretione & generatione ſed de nutritione ſermo habetur. *A*

Nutritio vera fit cum alimentum proximum in viuentis ſubſtantiam conuertitur mediante tertia coctione quam omioſim vocamus; cuius beneficio facultas naturalis inſita in ſingulis corporis partibus materiam alimentitiam prius præparatam ab aliis duabus coctionibus chyloſi, & hematoſi, primo diſpergit deinde agglutinat, & poſtremo aſſimilat, idque per facultates miniſtrantes & famulas attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem. *B*

A Ergo nutritio bene vel malè fieri noſcitur, ſi æger bene vel male attrahit, retinet, concoquit, & expellit in tribus coctionibus chyloſi, hematoſi, omioſi. quæ quidem quo laudabiliores erunt, eo fortior erit actio naturalis; quo debiliores, eo imbecillior.

B Vbi notandum vitium primæ coctionis non corrigi à ſecunda, nec ſecundam à tertia. Tamen & ſecunda & tertia poſſunt vitiari ſine prima, propter intemperiem, obſtructionem, vlcus, vel ſolutionem continui. Imo facultas naturalis interdum prius extinguitur in tertia coctione quam in prima & ſecunda, quod in gangræna & ſphacelo partium externarum cernitur, propter concurſum nimium ſanguinis calidioris & craſſioris calidum innatum ſuffocantis. Quod ſi gangræna à cauſis internis & non ab externis proueniat; mortem non longe abeſſe ſignificat. Quod in praxi verum eſſe ſæpius obſeruauimus.

C Verum quoniam coctio tam vera quam ſpuria, tam πέψις quam πέπαν-

πῶ laudabilis vel deprauata, ab excrementis præcipuè noſcitur ex 5. cryſ. de conſtitutione art.medic.&c. Ideo ſequenti capite ſigna coctionis & cruditatis excrementorum latius demonſtrabimus.

De coctione & Cruditate deiectionum, & vrinarum.

Cap. VII.

Excrementa craſſa (ſeu deiectiones) cocta ſunt ex hypp. 2. progn. ſi mollia, figurata, & leuiter coagmentata fuerint ſi tempore & modo quo ſolebant in ſanitate deiiciantur. Econtra excrementa alui liquida, albicantia, pallida, ſpumantia, nigra, pinguia &c. cruditates & morboſas affectiones declarant. A

Lotia vero (hoc eſt vrinæ) cocta ſunt ſi per totum morbi decurſum ſubſidentiam habent albam, leuem & æqualem, ſaltem eneorema, vel nebulam; hoc enim modo ſecuritatem breuemque morbum ſignificant ex hypp. 2. progn. & ex Gal. prim. cryſ. B

Econtra abſolute cruda Vrina dicitur, quæ nullam habet hypoſtaſim, ſed eſt conſiſtentia tenui, aquæ ſpeciem referens. Quo autem propius ad vnam vel alteram acceſſerit, eo crudior aut coctior apparebit. Quæ mali odoris eſt, diluta, tenuis, nigra, pinguis, telis araneorum ſimilis perniciosa eſt; quæ habet ſubſidentiam ſubrubram & leuem longum ſed ſalubrem morbum ſignificat: quæ veluti farinam nuper molutam ſubſidentem vituperanda eſt. Sed diligenter obſeruandum, quod quando vno die vrina cocta eſt, & altero cruda apparet, longitudinem, periculum, vel recidiuam, vel mortem denuntiet ait hypp. 2. progn. Gal. prim. de cryſib. & comm. prim epid. vt Fuſius in parte tertia prognoſ. cap. de longitudine vel breuitate morbi demonſtratum eſt.

A

De coctione & cruditate ſputi. *Cap. VIII.*

B

Sputum coctum eſt ex hypp. 2. progn. quando album, leue, æqua-

le, & minimè fætidum. Laudabile eſt ſi mixtum ſit, libere & liberaliter vacuetur. Bonum, ſi dolorem ſedet quare hypp. eodem libro ait, omne ſputum quod dolorem ſedat bonum.

A Econtra ſputum crudum eſt & prauam ſi ſine commixtione fiat, flauum, craſſum ſpumoſum, viride, viſcoſum, atque etiam magis nigrum ex prim. de cryſ. imo in morbis pectoris nihil, inquit; omnino expuere ſed tuſſim tantummodo ſiccam habere, tale quiddam eſt, quale in vrinis extreme crudum quod nominamus aquoſum.

B Hic nota cum Zacuto luſitano quod in morbis abdominis excrementa craſſa; in morbis venoſi generis vrinas; in morbis pectoris ſputa præcipuè aduertere oporteat; quoniam cum à materia morbifica oriantur ſtatum morbi repræſentant, & his tantum fidendum non verò aliis. Quod firmat Gal. de conſtit. art. medic. & prim. de cryſ. in quo magnus error plerumque committitur; cum v. g. in morbis pectoris ex vri-

nis & deiectionibus coctiones arguant, cum tamen & ſputis ſolum innoteſcant.

A Eadem obſeruatio neceſſaria eſt in morbis abdominis in quibus excremēta craſſa ſola inſpicienda ſunt; & in morbis venoſi generis in quibus vrinæ ſolæ morbi naturam, ſtatum, & vigorem &c. repræſentant.

B Ex ſupradictis vires, ſeu robur ægrotantis cognoſcere licet. Sed quoniam ex comparatione virium ſeu facultatum cum morbi vi & magnitudine tota præſagiendi ratio deſumitur, quæ ad ſalutem vel mortem, ad longitudinem vel breuitatem finire debet, prout plus & minus vnus alterum ſuperat: Ideo aliquas conditiones & regulas ad hanc comparationem probè peragendam obſeruandas inferius afferemus.

PARS TERTIA.

PROGNOSEOS CONSTITVTIVA.

Comparatio morbi cum viribus Prognoſis.

In quibus morbis vera fiat. *Cap. I.*

SVmmum medicæ artis experimentum & inſigne ſpecimen recta in morbis prædictio ſeu prognoſis eſt. Quam vt aſſequamur aliqua præmittenda veniunt. A

Prognoſis vel fit de vniuerſali & totali morbi exitu, hoc eſt, an mori vel ſaluari debeat æger; Vel fit de particulari & determinato euentu; hoc eſt, de ſpecie cryſeos, de die, hora, & modo exitus: in quorum vera prædictione, maxima & præcipua exiſtit prognoſis difficultas, de qua præcipue hic ſermo eſt. B

Ergo prognoſis illa particularis & determinata fieri non poteſt primò in ægris moroſis & inobedientibus, C

Digitized by Google

neque etiam in affectibus cronicis; quoniam per inobedientiam, & diuturnitatem, multi ab ægris & adſtantibus admittuntur errores qui medici iudicium effugiunt, & morbos ſanabiles ſæpiſſime lethales vel longiores reddunt; quod firmat experientia & hypp. authoritas aph. pr. ſect. prim. Gal. de conſtit. art. medic. comm. prim. progn. &c.

A Secundò, prognoſis particularis & determinata non poteſt etiam fieri in morbis malignis: quoniam cum affectus malignitate ſua vires oppugnet & ſymptomata & ſigna ſint ambigua & fallacia. Hinc fit vt medicus de hiſce morbis certò præſagire non poſſit; maximè ſi morbus diuinus ſit, diabolicus, vel veneficus qui omnes cognitionis naturalis vias excludat vt ſupra in parte prima prognoſeos monſtratum eſt.

B Ergo prognoſis particularis & determinata de ſpecie cryſeos, de die, hora, & modo exitus fit ſolum in morbis perperacutis, peracutis, acutis ſimpliciter, & acutis per decidentiam, modo conditiones

infra præſcriptæ & regulæ penitus obſeruentur.

Prudens Medicus aliquando errat in prognoſi.

Cap. II.

Licet ægri, adſtantes, pharmacopola, chyrurgus & exteriora probe & ſecundum rationem ſe habeant, imò & medicus prudentiſſimè agendo omnia exactè perſcrutetur & ponderet, tamen aliquando impræuiſa contingunt. Quia vt docet Auerroes monſtra accidunt in morbis vt & in natura; habet autem ſapientiſſima hera ſecretiores receſſus & proffundiora adyta quam vt aſſequi valeamus. Sæpe etiam morbi diuini, Diabolici, vel venefici fiunt qui omnem medendi rationem & artis limites tranſcendunt. Sæpe etiam Deus medicorum mentem in curatione obtenebrat & excæcat: tum vt ſceleſti ægri puniantur, tum vt nimia medicorum in rebus naturalibus confidentia caſtigetur quare A

medicus Doctrinæ ſuæ pietatem conſociet.

A Hæc quoque cauſa eſt, cur prudentiores medici de futuro morbi euentu dubiè & ambiguè pronuntiare ſint ſoliti iuxta hyppoc. oraculum aph. 19. ſect. 2. acutorum morborum difficiles ſunt prænotiones aut ſalutis aut mortis, imò prim. aph. ſect. prim. iudicium vocat difficile.

B Sed vt maior in his eſt difficultas, ita quoque maiorem gloriam aſſequetur, qui prædicendo collimauerit.

Verum quia ſunt plures medicorum ſcopuli in prognoſi & curatione agenda de his primò diſſerendum ſentio.

De ſcopulis medicorum in prognoſi & curatione agenda. *Cap. III.*

C Tres ſunt morboſarum affectionum ſpecies ſeu differentiæ ad quarum prognoſim & curationem vel expertiſſimorum medicorum fama

longo doctrinæ & experientiæ vſu comparata tanquam ad ſcopulum fatalem plerumque alliditur. Prima, eſt apoplexia inopinata, vel affectus aliquis ſoporoſus acutis morbis ſuperueniens. Secunda eſt ſubita ſuffocatio in morbis pectoris. Tertia impræuiſa ſyncope in morbis malignis: in his enim tribus affectibus cum ægri leuius ſe habere videantur, bene loquantur, ratiocinentur, & alimenta ſumant, tamen interdum repente moriuntur & ſæpe ſine vlla rerum domeſticarum nec quoque conſcientiæ præcautione; quem quidem fatalem exitum niſi medici præuiderint & neceſſariis declarauerint, calumniam ignorantiæ vel malitiæ indelebilem incurrunt.

De ſcopulo primo medicorum. *Cap. IV.*

Primus medicorum ſcopulus eſt apoplexia inopinata, vel aliquis ſoporoſus affectus acutis febribus ſuperueniens poſt narcoticorum exhibitionem. Quare ad illam euitan- A

dam charybdim quando medicus æ-grum acute febricitantem inuene-rit deffluxioni obnoxium, obeſum, ſenē,& humiditate cerebri ſuperflua naturaliter præditum; cautus eſſe debet & prudens in prognoſi & curatione agenda; periculum adſtantibus & propinquis denuntiare vt ægrum ad omnem euentum diſponendum curent.

A His factis licet æger vigiliis torqueatur, & dolore capitis infeſtetur, tamen à fortibus ſomniferis & præcipuè internis cauere debet, ne quem obdormire voluerit, excitare poſtea non poſſit. Satis ſint hoc in caſu externa hypnotica, quæ, quoties opportunum videbitur amouebuntur. Quod ſi interna ſumenda voluerit, hordeatis vtatur, vel iuſculis in quibus ſemina frigida maiora mundata & contuſa diſſoluenda curet cum aliquibus amygdalis mundatis & ʒ II. ſeminis papaueris albi. Quæ cum per quadrantem ſimul ebullierint, colentur & propinentur veſpere. Vel hæc in hodulo linea prius incluſa

cum iuſculis ebulliant, & colata deinde aſſumantur. Syrupus violatus violaceus cum pthyſana concedatur, & ſimilia leuia propinentur, ne ob naturæ propenſionem & temperamentum ægri, fluxioni obnoxij, ſymptomate inopinato, apoplexia, lethargo, vel caro lethali repente corripiatur.

De ſcopulo ſecundo medicorum.

Cap. V.

Secundus medicorum ſcopulus eſt ſubita ſuffocatio morbis pectoris ſuperueniens poſt purgationem exhibitam v. g. perineumonicis, pleuriticis, empyicis, tabidis, & ſimilibus, in quibus cum ægri leuius ſe habere videantur, facultates animales & naturales robuſtæ appareant; Dato medicamento purgante materia in pectore contenta proprio motu vel adſtantium vel ægrotantis errore commota & efferueſcens cor impetit, ſæpius opprimit, & repente ſuffocat; quod quidem

calumniam medico indelebilem conciliat. Quare ſuſpectum ſemper habeat horum morborum exitum. Primò itaque hiſce morbis correptos curaturus, eorum ſaluti & rebus domeſticis conſulendum curet; mox ad reſpirationis difficultatem animum adhibeat, tum ad quantitatem & qualitatem ſputorũ ac eductionis facilitatem vel difficultatem aduertat. Quoniam à vigore naturalis & animalis facultatis libera, liberalis & proba, expectoratio pendet.

A Sed inter omnia remedia periculoſiſſimã & plerumque lethalem caueat purgationem maxime in morbi vigore quandoquidem vires debilitat; nihil de materia morbifica detrahit, ſed ipſam commouet & exagitat. Hanc vetat hypp. aph. 12. & 14. lib. 5. Aph. 16. lib. 6. coacar. lib. n. 3. Epidem. lib. 5. n. 1. vbi aſſerit:

B Scomphum pleuritide correptum à purgatione aſſumpta mortuum eſſe. Firmat [illegible]. de morb. n. 22. vbi docet ſputo prodeunte medicamentum non eſſe propinandum, quoniam prohibet expectorationem qua ceſ-

ſante æger ſuffocatur. Pleuriticus,inquit, ſi bilioſa expuat medicamentum purgans ne dederis; ſi enim dederis ſputum rurſum prodire non poterit,ſed ſeptima aut nona die ſuffocabitur. Atque ſub hoc exemplo cætera comprehendit,quod longa experientia dignouimus. Hanc quoque Gal. & cæteri interpretes ſequuntur ſententiam quare hoc in caſu caueat purgationem qui ſuæ famæ & ægri rerum ſollicitus fuerit. *A*

Nota tamen quod in principio pthyſeos pure adhuc non efformato, & pulmonibus non adhuc vlceratis, non ſolum purgationem pectoralem exhibere liceat; ſed etiam ad curationem eſſe neceſſariam tum ad euacuandam cauſam antecedentem;tum ad diuertendum humoris fluxum ſed id morbo tantum inchoato, incipiente, & in fieri; non autem perfecto, confirmato, & in facto eſſe.

De ſcopulo tertio medicornm.
Cap. VI.

Impræuiſa ſyncope eaque lethalis *B* morbis malignis ſuperueniens poſt

calumniam medico indelebilem conciliat. Quare ſuſpectum ſemper habeat horum morborum exitum. Primò itaque hiſce morbis correptos curaturus, eorum ſaluti & rebus domeſticis conſulendum curet; mox ad reſpirationis difficultatem animum adhibeat, tum ad quantitatem & qualitatem ſputorũ ac eductionis facilitatem vel difficultatem aduertat. Quoniam à vigore naturalis & animalis facultatis libera, liberalis & proba, expectoratio pendet.

A Sed inter omnia remedia periculoſiſſimã & plerumque lethalem caueat purgationem maxime in morbi vigore quandoquidem vires debilitat; nihil de materia morbifica detrahit, ſed ipſam commouet & exagitat. Hanc vetat hypp. aph. 12. & 14. lib. 5. Aph. 16. lib. 6. coacar. lib. n. 3. Epidem. lib. 5. n. 1. vbi aſſerit,

B Scomphum pleuritide correptum à purgatione aſſumpta mortuum eſſe. Firmat lib. 2. de morb. n. 22. vbi docet ſputo prodeunte medicamentum non eſſe propinandum, quoniam prohibet expectorationem qua ceſ-

ſante

ſante æger ſuffocatur. Pleutiticus, inquit, ſi bilioſa expuat medicamentum purgans ne dederis; ſi enim dederis ſputum rurſum prodire non poterit, ſed ſeptima aut nona die ſuffocabitur. Atque ſub hoc exemplo cætera comprehendit, quod longa experientia dignouimus. Hanc quoque Gal. & cæteri interpretes ſequuntur ſententiam quare hoc in caſu caueat purgationem qui ſuæ famæ & ægri rerum ſollicitus fuerit. *A*

Nota tamen quod in principio pthyſeos pure adhuc non efformato, & pulmonibus non adhuc vlceratis, non ſolum purgationem pectoralem exhibere liceat; ſed etiam ad curationem eſſe neceſſariam tum ad euacuandam cauſam antecedentem; tum ad diuertendum humoris fluxum ſed id morbo tantum inchoato, incipiente, & in fieri; non autem perfecto, confirmato, & in facto eſſe.

De ſcopulo tertio medicornm. *Cap. VI.*

Impræuiſa ſyncope eaque lethalis *B*
morbis malignis ſuperueniens poſt

magna remedia adminiſtrata, tertius eſt medicorum ſcopulus.

A Sunt autem tria remediorum genera quæ perperam & præpoſterè in malignis adminiſtrata ſyncopem & ſubitaneam mortem acceſſunt. Somnifera, miſſio ſanguinis, & purgatio.

B Certum eſt per ſomnifera calorem naturalem non primigenium quidem & inſitum ſed communem & influentem hoc eſt ſpiritus à vitæ principiis generatos ad interna affatim concurrere tum ad iuuandam concoctionem humorum tum ad reparationem ſubſtantiæ deperditæ; quorum motum malignitas ſequitur, vt in carbonibus, & morſibus venenatorum animalium videre eſt, in quibus ſomnus paulo longior pernicioſus exiſtit. Quid quod vapor ille malignus incraſſatur per ſomnum ab hypnotico & reffringeratur, atque adeo eius difflatio & tranſpiratio prohibetur; quare ſumma cum præmeditatione & cautela hoc in caſu ſomniferis vtendum eſt.

C De miſſione autem ſanguinis & purgatione in malignis ſic accipe.

Malignitas eſt qualitas putredinalis & venenata in ſubiecto putrido & corrupto ab intentiori putredine materiæ generata. Noſcitur præcipuè ab inæqualibus ſymptomatis & morbo improportionatis. Tum etiam à proſtratione virium ſine cauſa manifeſta, hoc eſt ſine vacuatione prægreſſa. Quæ quidem malignitas vt auferatur, ſubiectum quoque cui inhæret, ſeu materia putrida malignitatis generatiua auferri debet. Prout autem ſubiectum illud malignitatis varias habet ſedes varias quoque euacuationes ad ſui eliminationem deſiderat. A

Nam ſi ſit in venoſo genere & ſanguini putridiſſimo inhæreat quod cognoſcitur ex febre intenſiori ſiti, vigiliis, anxietate, & à prægreſſis exceſſibus tam corporis quam animi maximè in plethorico corpore tunc ſanguis mittendus eſt;quoniam ſublato malignitatis ſubiecto eius quoque maligna qualitas auferetur. Tamen parca fieri debet vacuatio tum propter virium imbecillitatem, tum ne commota & exagitata mate- B

ria copioſiores ad vitæ principia vapores emittat: aqua vacuatione cardiacum aliquod temperatum propinari debet.

A Si vero ſubiectum malignitatis ſit in primis viis, quod dignoſcitur à frequenti cardialgia, à nimia in ſomnum propenſione, tenſione abdominis & fætore excrementorum, à vermibus, à prægreſſa crapula corruptorum ciborum. Tunc purgatio eſt exhibenda lenis tamen & benigna ob rationes ſupra citatas. Sic ſuadet Gal. comm. lib. 6. epidem. & in hiſtoria Simonis eiuſdem lib. 6. epid. firmat Auicenna lib. 4. de febr. cap. de cura peſtilentiæ &c.

B Ergo medicus cognita ſede, ſubiecto, & minera malignitatis, magna remedia opportunè & debite adminiſtrabit: atque adeo tutò & certo ſcopulos declinabit. Incognita vero ſede & ſubiecto præpoſtere vtetur & ad ſcopulos allidetur.

De ſcopulo quarto medicorum.

C Poſt maxima ſymptomata veluti

vigilias immoderatas, dolores implacabiles, anxietates maximas &c. Imò poſt vacuationes notabiles, ſudores, vomitus, diarrhæam &c. Sine noctu ſiue diu contigerint, non confeſtim purgandum eſt, neque ſanguis emittendus, niſi ſumma cum præmeditatione & vrgentiſſimo affectu, donec vires fuerint reparatæ, & æger tranquillior factus. Sic ſuadet Gal. 9. met. ſi quem curare, inquit, ſtudes affectũ & æger imbecillitate, labor‹a›t, viribus imbecillitate laborantibus nihil eorum quæ affectũ ſanant eſt exhibendũ &c. 12. meth. ſi adſit ſyncope omnis medẽdi ſollicitudo ad ſymptoma vertetur &c. quia afflictio afflicto nõ eſt dãda; alioquin ægri vita & medici fama in magno verſantur periculo.

De ſcopulo quinto medicorum.

Si quis peracuto morbo detentus & prauis ſymptomatis deuexatus curandus aduenerit, qui neque de conſcientia, neque de bonis teſtamento cauerit; prudentis eſt medici magna non adminiſtrare remedia A

donec æger de iis penitus diſpoſuerit. Quoniam ipſum morbi vehementia debilitatum, remedij commotione & vacuatione cruciatum, dum ab adſtantibus, propinquis, presbiteris, Tabellionibus in hoc rerum concurſu pro impræuiſa conſcientiæ & rerum domeſticarum diſpoſitione magis exagitatur, in præſentius vitæ periculum præcipitabit. Imitetur in iis expertem chirurgum, qui antequam aliquod membrum extirpet, ægrum de conſcientia & bonis prius diſponendum curat, atque in ipſis operationibus patientem ſæuo dolore & fluxu ſanguinis imbecillum variis animi perturbationibus exercere non patitur; ne ſublato inopinatè ægro æquis criminationibus infeſtetur. Quare ex ipſo etiam hyppocratis oraculo aſſiſtentes & exteriora tanquam iuuantia ad ægri ſalutem concurrenda maturius, curet, qui ſuæ famæ & ægri rebus aptè conſuluerit.

De conditionibus & regulis ad prognoſim. Cap. VII.

Prima conditio & regula ad prognoſim recte peragendam eſt cognitio morbi. Ita Gal. 2. meth. principium, inquit; prognoſeos & curationis morbi cognitio eſt: firmat 2. de loc. affect. cap. 3. primò, inquit, danda opera eſt vt morbi eſſentiam cognoſcamus; qua cognita facile nobis patebit, per contraria curationem moliri: nam qualitas remedij à contrarietate morbi deſumitur, quantitas verò ab humoris copia laborantiſque viribus. Gal. lib. 2. meth. ait, principium progn. & curat. morbi cognitio eſt. Celſus lib. prim. ſic ait, cuius non eſt certa cognitio certum non poteſt exhiberi remedium cum prima remediorum inuentio ſit cognitio morbi. Quo autem modo, & qua via morbus agnoſcatur fusè in parte prima prognoſeos monſtratum eſt. A

Secunda, vt vires ægrotantis rectè agnoſcantur. Vnde prim. ad Glauc. B

cap 8. non licet nobis prænoſcere & euentum morbi præſentire niſi magnitudinem morbi atque virium acurate expendamus. Qua verò ratione vires exactè noſcantur, vide part. ſecundam prognoſeos.

A Tertia, vt pars affecta præſagienti quoque nota ſit, ita Gal. 4. de præſag. ex pulſib. proinde, inquit, cui ſtatus facultatis perſpectus ad vnguem fuerit, locuſque affectus & eius affectus, is ad futura præſentienda erit peritiſſimus. Lege in parte prima prognoſeos ſigna quibus ad partis affectæ cognitionem veniamus.

B Quarta, vt vigor morbi futurus præſciatur, an illum natura ſuperare potens ſit, nec ne coniectari oportet, ait, 9. aph. ſect.prim. an æger poſſit ſufficere donec morbus conſiſtat, vel æger prius defficiat atque hebeteſcat : Vnde ſic licet ratiocinari; ſi ad victum præſcribendum vigor futurus rectè agnoſcendus ſit ex Gal. in comm. quanto magis ad prognoſim agendam ſcire oportebit. Quod etiã cordate ſuadet Gal. 3. cryſeon.

In nulla re, inquit, exercitandus eſt magis medicus quam in vigoris morbi præcognitione, quicumque enim vigoris tempus præterierint iniudicati hi abſque cryſi finiuntur & paulatim ſoluuntur &c. paulo vero poſt ſubiungit. Igitur an moriturus ſit æger nec ne præcognoſcet nemo niſi ſtatum morbi præſciuerit. Vt enim an portando oneri quiſpiam ſufficere poſſit ſcire non poſſumus oneris magnitudine, hominis robore, ac viæ longitudine antea non exploratis; ſic nihil de ægrotantis ſalute prius pronuntiare quidquam licebit quam magnitudinem morbi, virium robur, ac futurum ſtatum inueſtigauerimus. *A*

Quinta, & omnium præcipua eſt, vt morbus cum viribus debitè comparetur, vter, inquam ſuperior euaſurus ſit, à fortiori enim agente ſtat victoria. Firmat Gal. 3. cryſ. nemo mori poteſt niſi à morbo natura ſuperetur, neque ſeruari, niſi à natura morbus vincatur. Hic eſt ergo Epilogus omnium conditionum & regularum agendæ prognoſis morbi nempe *B*

magnitudinem cum ægri robore debitè comparare. Sic docet Gal. prim. ad Glauc. cap. 8, non licet nobis prædicere & euentum morbi præſentire niſi magnitudinem morbi atque virium acuratè expendamus. Et de conſtit. art. medic. inquit. Medicus morbo & naturæ veluti colluctantibus ſemper mentem intendit, ac dum diſcernit quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſuum de ſalute hominis vel interitu præſagium depromit, deinde verò quo altero alterum fortius eſſe nouit eo & illius præfinitum tempus agnoſcit, vt enim celerrimè morbus ſoluendus eſt ſi vires ſint validiores, ſic citò mors aduentabit ſi hæ imbecillæ fuerint, morbus, autem vehemens.

A Ergo cognitis his quinque regulis & conditionibus ſupradictis nēpe cognito morbo, parte affecta, viribus ægrotantis, vigore, morbi, & facta morbi debita comparatione cum viribus; tria à Gal. allata 4. de præſagitione ex pulſib. quæ totam prognoſim conſtituunt, nota ſiunt.

Primum, inquit, quod præcognoſcere volumus eſt, qualem exitum habiturus ſit morbus, ſecundum quo tempore iudicabitur ad ſalutem vel mortem. Tertium, quinam modus erit vel ſalutis vel mortis. A

De prognoſi longitudinis vel breuitatis morbi. *Cap.* *VIII.*

Longitudo vel breuitas morbi præſagitur conſiderando prout morbus plus & minus naturam ſuperat, vel à natura plus & minus morbus ſuperetur. Docet Gal. de conſtit. art. med. exemplo luctantium. Medicus, inquit, morbo & naturæ veluti colluctantibus ſemper mentem intendit, ac dum diſcernit quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſuum de ſalute hominis vel interitu præſagium depromit; deinde verò quo altero alterum fortius eſſe nouit eo & illius præfinitum tempus agnoſcit, &c. lib. 2. de differ. febr. cap. 5. petit longitudinem & breuitatem morbi à quantitate & qualitate humoris; & à viribus, ait, enim B

pro multitudine & qualitate humoris, vigore vel imbecillitate potentiæ, nec non ipſius ægrotantis diſpoſitione ſolet per omnes febres longitudo acceſſionum variari. Et cap. 10. Quo plura, inquit, tenaciora, frigidiora, & craſſiora excrementa ſunt, eo longiores acceſſiones efficiunt. Quo pauciora, tenuiora, calidiora, eo breuiores. Præterea rarior corporis habitus vel denſior, facultatum robur vel imbecillitas longas vel breues efficiunt acceſſiones.

A Quod de acceſſionibus in particulari dictum eſt, id quoque de exacerbationibus, imò & de morbo totali dicendum. Acceſſiones enim intermittentium reſpondent exacerbationibus continuarum, quarum longitudo vel breuitas ex maiori vel minori materiæ morbificæ coctione arguitur. Ex lib. de conſt. art. med. & comm. 12. aph. ſect. prim. inconſtantia quoque & mutatio tam coctionum quam cruditatum longitudinem, ſicut perſeuerantia coctionum breuitatem ſignificat.

B Hypp. lib. coac. n. 4. ait, vrina bo-

nam habens ſubſidentiam & repentè non habens dolorem & mutationem ſignificat. Idem repetit 33.aph. ſect. 7. & lib. 2. progn. Vrina, inquit,modo cocta modo cruda vt longitudinem ſic minorem ſecuritatem pollicetur. Gal. vero in comm. ait. Quod materia cocta modo victricem naturam, mox cruda imbecillam & victam ſignificat. Nunquam enim æger perfecte ſanari poterit, donec tota materia morbifica fuerit primò cocta, 2. ſeparata, & demum expulſa. comm. 22. aph. lib.4. quod in tumoribus externis videre eſt, at coctio fit perportiones & ſucceſſiue vt in abſceſſibus externis videre eſt, in quibus paulatim materia concoquitur, mox ſeparatur,ac demum expellitur docente Fernel. 3. method. cap. 12. Sennert. vero aſſerit inæqualitatem illam coctionum ſignificare varium conflictum naturæ cum morbo, in quo tandem conflictu ne natura ſuccumbat periculoſum eſt.

A Morbi quoque longitudinem vel breuitatem indicat ipſa morbi eſſentia, & natura, anni tempeſtas, & ex-

crementorum qualitas ex hypp. 12. ap h. ſect. prim.

De prognoſi mortis, vel ſalutis.

Cap. I X.

A Morietur æger abſolutè quando morbus eſt multo ſuperior viribus, quod cognoſcitur primò imbecillitate virium; Secundo magnitudine ſymptomatum; Tertio, cruditatibus continuis. Quod Gal. docet 3. de cryſ. primum, inquit, & maximum morbis mortalibus ſignum quod abſque cryſi mors ſit ſubſequutura eſt virium imbecillitas. Secundum, ſi nullum adſit ſignum coctionis; tertium ſi morbus ſit magnus malignuſque & moueatur celeriter, tunc enim abſque cryſi mors cito ſubſequetur. Id firmat exemplo baiuli eodem libro. Vt enim an portando oneri quiſpiam ſufficere poſſit ſcire non poſſumus oneris magnitudine, hominis robore, ac viæ longitudine antea non exploratis. Sic nihil de ægrotantis ſalute prius pronuntiare

quidquam licebit, quam magnitudinem morbi, virium robur, ac futurum ſtatum inueſtigauerimus. Quo loco notat Donat. Abaltimarus in ſua methodo vniuerſali baiulum ægroto æquiparari; morbum, oneri; longitudinem morbi longitudini itineris; & ſicut debilis baiulus non poteſt magnum onus per longum itineris patium deſferre; ita debilis æger non poteſt magnum morbum per longum temporis ſpatium ſuſtinere; & econtra.

Confirmatur exemplo vrbis obſeſſæ à fortiſſimo exercitu, quæ imbecilla muris & propugnaculis, deſtituta auxiliis & commeatibus citò expugnanda eſt. Ita corpus humanum magno morbo diuexatum, natiuo calore & viribus imbecillum omni auxilio tam domeſtico quam medico deſtitutum cito periturum eſt. Priuatur autem auxilio ob neceſſitatem vel moroſitatem, vel ob magnitudinem morbi qui ægrum opprimit & ſuffocat. *A* *B*

Gal. 4. de loc. affect. mortem ex

inſpiratione vult præſagiri, quando videlicet ægri ægrè ſpirant, & thoracis omnes muſculi ſimul cum ſcapulis inter ſpirandum attolluntur. Ait enim cap. 6. ſi inter ægrè ſpirandum thoracis omnes moueantur muſculi, pectuſque ſimul cum ſcapulis attollatur, vnum ex tribus coniicies, aut extremam imbecillitatem, aut viarum ſpiritus anguſtiam, aut intenſam in corde & pulmone caliditatem. His tribus ſimul coëuntibus proximam mortem timere oportet; ſi verò duæ affuerint difficile eſt ægrum ſeruare; vna vero duntaxat infeſtante peculiari opus eſt finitione vt ſciatur ſeruabiturne æger? an ipſi malo ſuccumbet.

A Sanabitur æger ſi reſpiratio facilis & libera ſit, ſi vires ſint robuſtæ, ſi coctiones perſeuerent per totum morbi decurſum; qua ratione oſtenſum eſt parte 2. prognoſeos, Demum ſi ſymptomata ſint lenia & benignia vnde 3. progn. hypp. mitiſſimæ febres quæ cum ſignis accidunt ſecuriſſimis quarto ſoluuntur die vel

prius; ſic quæ malignitate excellunt, & cum grauiſſimis ſymptomatis accidunt quarto die vel citius occidunt. Confirmatur exemplo baiuli qui ſi fortis & robuſtus ſit paruum onus per breue itineris ſpatium facile feret, ita robuſtus æger mitem morbum per breue temporis ſpatium facile ſuſtinebit.

Idem dic de vrbe obſeſſa, quæ fortibus muris & propugnaculis cincta, victu & militibus munita, auxiliis & commeatibus peruia debilem hoſtem irridebit: Ita æger natiuo calore & viribus robuſtus; auxiliis domeſticis & medicis munitus benignum morbum facile ſuperabit. A

De prognoſi ſpeciei cryſeos ad mortem vel ad ſalutem.

Cap. X.

Omnis morbus iudicatur per κρύσιν vel per λύσιν hoc eſt per ſenſibilem vacuationem; vel paulatim & per inſenſibilem ſolutionem. Quæ per κρύσιν iudicatur vel integrè & perfectè. ad ſalutem vel ad mortem, vel B

imperfectè ad melius vel ad deterius ex cryſ. lib. 3. Qua vero ratione, & qua ſpecie cryſeos ſiue ſudoribus, ſiue vrinis, ſeceſſibus, vomitu, vel hæmorrhagia? ad horum intelligentiam.

A Nota primo præter morbi cognitionem quam habere debet medicus, & ſine qua nihil boni operari poteſt, debere quoque ſedem & mineram morbi, locum affectum ſeu partem affectam exactè cognoſcere, quibus cognitis nota etiam habebit inſtrumenta & organa naturaliter dicata ad expulſionem excrementorum noxiæque materiæ.

B Nota 2. neceſſum quoque eſſe medico rectè cognoſcere naturam ægrotantis, ætatem, conſuetudinem, habitum, & tempus anni. Ex quibus colligat inclinationem & propenſionem quam habet æger vel ad ſudores, vomitum, vel hæmorrhagiam. &c.

C His poſitis facile eſt prædicere quæ ſpecies cryſeos, hoc eſt quæ auacuatio per cryſim contingere debent. Nam ſi ex ſupoſitione Medicus noſ-

cat morbum eſſe in ventriculo, & ægrum habere propenſionem ad vomitum idque æſtiuo tempore certo prædicere poterit morbum iudicandum fore per vomitum. Si certo ſciat morbum eſſe in mezenterio vel inteſtinis, & æger ſit ad fluxum ventris procliuis per diarrhæam iudicabitur. Si in venis & habitu corporis & ſudoribus obnoxius ſit, per ſudores finietur morbus. Et ſic de cæteris ad mortem ſuperante morbo: Cum ſignis cruditatis; ad ſalutem ſuperante natura cum ſignis coctionis.

Firmat Gal. lib. 2. ad Glauc. cap. 2. Indicatio, inquit, ex poſitu loca per quæ ſit vacuandum & quo pacto demonſtrat, & paulo poſt ſubiungit. Laborantibus cõuexis hepatis partibus per vrinam trahere oportet; concauis autem per ſubductionem alui; thorax & pulmo per ſputa; ventriculus per vomitum; inteſtina per deiectiones; ſplen & renes per vrinas; matrix per menſtrua; cerebrum per gargareonem, nares, & aures. Idem repetit lib. 13. meth. adeo vt A

ex partibus affectis futuras vacuationes prænoſcamus conſentientibus & cõſpirantibus in vnum morbo, natura ægrotantis, ætate, habitu, & conſuetudine.

A Hac methodo & ratione innixus ego particulares mutationes febris duplicis tertianæ continuæ per ſubintrantiam & purpuratæ ſingulis diebus, & determinatis horis futuras per ſeptem dies anticipatos prædixi D. D. du Bouſquet tunc temporis primario ærarij Regij & fori præfecto huius Occitaniæ prouinciæ, nunc verò digniſſimo Mompelienſi Epiſcopo annis abhinc triginta elapſis in vrbe priuata laboranti. Idem ſæpiſſime egimus & ſine magna difficultate fieri poſſe affirmamus ſuppoſita morbi cognitione, eius ſede; ægrotantis natura, ætate, habitu, & conſuetudine.

De prognoſi Diei mortis vel ſalutis.
Cap. X I.

B Nota primo in morbis cronicis & malignis diem mortis aut ſalutis cer-

tam præſagiri non poſſe vt ſuprà parte 3. cap. prim. oſtenſum eſt. Sed tantum in perperacutis, peracutis, acutis ſimpliciter ſine malignitate, & acutis interdum per decidentiam.

Nota 2. neceſſum eſſe prius nouiſſe vtrum æger abſolutè mori vel ſanari debeat, quod ſupra parte 3. cap. 9. oſtenſum eſt. *A*

Nota 3. Dies indices, intercalares, & cryticos eſſe probe tenendos & obſeruandos; deinde motum morbi diligenter eſſe attendendum; quoniam qui imparibus mouentur imparibus iudicantur. & econtra, docente hypp. lib. 7. epidem. *B*

His cognitis medicus præuidebit diem mortis, vel ſanationis triplici ratione, modo nulli ab ægro & adſtantibus committantur errores. *C*

Primò per dies indicatorios, nam ſi die quarto cryſis indicata fuerit ad mortem, ſeptimo die morietur æger. Si die quarto indicata fuerit ad ſalutem, die ſeptimo ſanabitur æger. Ita hypp. aph. 71. ſect. 4. quibuſcumque, inquit. die ſeptimo cryſis futura eſt, iis die quarto vrina nu- *D*

beculam rubra habet. Et aph. 24. ſect. 2. ſeptenorum, ait, quartus eſt index; alterius ſeptimanæ octauus principium; eſt item & vndecimus contemplabilis ipſe enim eſt quartus alterius ſeptimanæ. Rurſus & decimus ſeptimus contemplabilis ſiquidem quartus eſt à quarto decimo ſeptimus vero ab vndecimo.

A Secundo per coniecturas artificiales & veriſimiles, conſiderando videlicet, quanto morbus naturam ſuperet, vel quantò à natura morbus ſuperetur. Maior enim vel minor reſiſtentia naturæ cum morbo diem mortis, vel ſanationis demonſtrat. Ita Gal. 3. de cryſib. mortis, inquit, dies præcognoſcitur, quanto ſuperet morbus naturam conſiderando & grauiores acceſſiones inſpiciendo. Idem dicendum de die ſanationis ſi quanto natura morbum ſuperauerit attentè conſideraueris.

B Tertiò, dies mortis vel ſalutis in acutis noſcitur ex obſeruationibus de ſpecie & natura ſimilis morbi ſæpius factis. Etenim Apoplexiæ fortes, primo, ſecundo, vel tertio die

iudicantur ad mortem. Vt plurimum. Interdum in paraplegiam vel paralyſim deſinunt. Perineumonia bilioſa, & Angina vera quinto vel ſeptimo die iudicantur. Vt patet experientia, tetanos quarto die. aph. 6. ſect. 5. Tertiana intermittens exquiſita ſeptimo circuitu ex 59. aph. ſect. 4. pleuritis exquiſita decimo quarto die ex 8. aph. ſect. 5. tetano correpti quinto die aph, 6. ſect. 5. & ſic de cæteris ad mortem ſuperante morbo; ad ſalutem vincente natura.

De prognoſi horæ mortis vel ſalutis. Cap. XII.

Nota primo ſciendum eſſe an morbus ſit lethalis vel ſanabilis. Qua ratione monſtratum eſt parte 3. cap. 9. A

Nota ſecundo diem mortis vel integræ ſanationis cognoſcendum eſſe. Qua ratione oſtenſum eſt cap. 11. B

His poſitis facile eſt horam mortis cognoſcere, & quoque ſalutis. Si nempe cognoueris horam exacerbationis. Quod aſſerit Gal. 3. de cryſ. & Fuſchius lib. 4. inſtitutionum me- C

dicat. cap. 12. Nam poſito quod morbus ſit lethalis & æger exempli gratia mori debeat ſeptimo die vt ex ſuperius allatis innoteſcet; videndum qua hora morbus ſolitus ſit exacerbari: nam ſi contigerit hora meridiana, quod à motu morbi prægreſſo obſeruatum erit, certum eſt quod hora meridiana morietur; circa etiam mediã noctem morietur ſi circa mediam noctem exacerbetur, & ſic de cæteris. Affert. rationem.

A Tunc morietur æger quando morbus maiorem inſultum efficiet, Atqui hora meridiana, aut circa mediam noctem maiorem inſultum efficiet quia ex hypotheſi exacerbabitur: Ergo hora meridiana vel circa mediam noctem morietur æger. Sic ſuadet Gal. de diebus decretoriis primo. Non ignorandum, inquit, eſt in peſſimo acceſſionis tempore hominem moriturum, ac proinde non magni negotij fuerit vti diem ſic etiam cryſis horam prædicere. Etenim in exacebationibus iudicia

B ſolent contingere.

Eodem etiam modo hora integræ ſito

ſanationis facile præcognoſcetur poſito vt ſupra morbo ſanabili, die critico, & hora certa exacerbationis. Natura enim ſuperior morbum per vrinas, vel per ventrem, vel per ſudorem &c. propellet; quia ea hora maior erit pugna, & maius certamen naturæ cum morbo; cui pugnæ ſuccedet vacuatio critica ante indicata, & conſequenter ſanatio.

Prognoſis Epilogus.
Cap. XIII.

Cum omnium medicinæ partium difficillima, & maximè dubia prognoſis ſit. Qua in exercenda licet rationibus; authoritatibus; & coniecturis probabilibus vtatur medicus, tamen à vero interdum ſcopo aberret atque diſcedat neceſſum eſt. Humanum enim eſt errare & labi eoque etiam magis quo iunior quiſpiam fuerit; Regulas, & conditiones ſuperius allatas, & hoc in libro latius productas in epilogum contraxit Gal. lib. prim. ad Glauc. cap. prim. A

Qui omnia, inquit, quæ ſecundum naturam & præter naturam ſunt di- B

uiſione artificioſa complexus fuerit, atque ab his quæ ſufficienter diuiſa erunt indicationes ſumpſerit, ſolus is quantum humanis permittitur viribus in medendo non errabit.

GVILLIELMI CLEMENTIS
Burſandeolenſis D. M.
LIBER V.

De morbis capitis.

Obſeruatio. I.

A PLurium Epilepſia & Apoplexia deffunctorum cadauera per tres ad quatuor annos in Xenodochio ſanctiſſimi Saluatoris vulgo ſancti Ioannis Laterani Romæ diſſecui. Cauſamque efficientem & coniunctam ſubitæ & repentinæ mortis accuratè & ſolerter inueſtigando; inueni, diſſecto & aperto cranio totam capa-

citatem cerebri plenam humore tenui ſeu ichore, in aliis albo aquæ ſpeciem refferente : in aliis verò ſubrubro loturæ carnium nuper mactatarum haud abſimili, adeo vt in his ichoribus cerebri ſubſtantia quaſi innatare videretur; qui quidem ichores ventriculorum meatuumque obſtructionem omnimodam pariendo ſubitam ipſis mortem attulerunt. His fultus experientiis ad tales morbos curandos in poſterum vocatus. In principio nulla mora interpoſita catharcticum exhibui ſolito fortius ob ſopitam expultricem. Quod paratur ex pillul. cocchiar. ʒ 1. ß. cum aliquibus gran. diagridij & Athlandal; diſſol. in ℥. 2. aut circiter aqu. ſaluiæ, tum æger è cocchleari & per vim aſſumere cogitur. Atque hoc remedio ſolo plures melius habuerunt, reiterato conualuerunt. Vacuata videlicet materia coniuncta per ſeceſſum; quæ quidem ſi ad trachiam & fauces deffluxerit, ſuffocationem; ſi ad ſpinam paraplegiam excitare ſolita eſt. Hac quoque medendi ratione plures tetanis & opi-

ſthotonis detentos curauimus. Quibus etiam decoctum ſudorificum gaiaci propinatum obortis ſudoribus, interdum contuliſſe obſeruauimus. In apoplexia verò ſanguinea prægreſſa phlebotomia, eo ipſo die ad purgationem præſcriptam venimus cum bono ſucceſſu. Hæc in praxi mente ſeruanda ad vſum.

De morbis Thoracis.
Obſeruatio. II.

A Eodem loco & ferè tempore aliqua notatu digniſſima medicis chyrurgiſque apprime neceſſaria empyemate tabeque mortuis & à me diſſectis obſeruaui.

B Duo fuerunt in quibus eleuato ſurſum pectoris ſterno tota capacitas humore tenui & albo aquæ fontis ſpeciem refferente plena viſa eſt: adeo vt ex hac aqua duas crateras impleuerim quæ omnium adſtantium iudicio quindecim circiter libras ponderabant. Vni ex his pulmones erant ſemiputridi pleuræ, coſtiſque ita adhærentes vt abſque la-

ceratione euelli nequirent. Alteri extremitas inferior pulmonis dextri membranoſæ diaphragmatis regioni concreta adhærebat, ita vt pulmonis veluti congelatio videretur.

Duo hic notanda veniunt; primum *A* quod detur empyema ſpurium à diſtillatione cerebri ortum; nam Empyema verum fit à ſanguine in capacitatem pectoris effuſo & in ſemiuitioſam qualitatem mutato comm. 47. aph. ſect. 2. ſpurium autem interdum fit ſine febre vt aſſerit Aëtius, Fernel. Et alij vt his duobus cõtigit, qui per menſem ante obitum in Xenodochio permanſerunt nulla febre detenti per diem; foras ambulantes, mediocri appetitu comedentes, & demum omnia ſanorum munia me præſente & vidente peragerent. Noctu vero interdum miti & lenta febre tenebantur leui tuſſicula affecti, pectoris grauitate, anguſtia, & tandem inopinato inſultu ſubita morte noctu præhenſi ſunt. vid. poſt.

Obſeruatio. III.

A Hæc in duobus aliis ſuppuratis ſtupenda annotaui. Adaperto pectore tota capacitas puris ſpurij plena apparuit. Adeo vt duas huius puris crateras detraxerim : quo quidem penitus ablato, vidi in vno, pulmonem dextrũ deeſſe quippe qui à pure penitus conſumptus fuiſſet. Alteri ex his duobus detracto pure media pulmonis dextri pars, qua leues videlicet exiſtunt arteriæ, deſficiebat.

Obſeruatio. IV.

B Vocatus ad curationem vxoris de Chautar tabidæ, & pus per ſeceſſum ſine dolore egerentis ; cognita in thorace puris collectione, nihil ipſi ad ſalutem fore proficuum quam ſectionem thoracis declaraui. Reclamantibus & refformidantibus coniuge & adſtantibus in conſultationem notabilem tranſmiſſa fuit operatio. Ecce poſt quindecim dies an-

tequam initum eſſet conſilium, tria foramina in pectore ſponte naturæ facta ſunt; vnum fere in medio thoracis iuxta ſternum, & alia duo in dextro latere vnum inter coſtas veras, & alterum inter ſpurias, & quoties clamabat, tuſſiebat, aut fortiter inſpirabat tanquam è tribus fontium tubis materia purulenta exilibat. Poſtulatus ergo vt foramina amplianda curarem, quo facilior puris fieret vacuatio; prædixi tunc temporis non eſſe locum; quod pulmones eſſent putrefacti. Atque adeo ægra poſt decem aut circiter dies à meo diſceſſu periit.

Obſeruatio. V.

Anno 1638. Romæ tabidum per aliquod temporis ſpatium curaui; qui tantam in me fidem habebat, vt vno die me in cubiculo ſuo perſtare precatus ſit effatus ſe ſubito moriturum ſtatim atque me videre deſiſteret. Lubens per diem perſtiti. Noctu vero cum ad recumbendum diſcedere vellem me ſupplex & enixe *A*

rogauit, vt etiam noctu manerem ſi vellem ipſum in viuis ſtare, nihil ſe formidare quamdiu me videret. Manſi adhuc per noctem, luce matutina vigiliis tædioſus & infeſtus, licet me enixius & maiore clamore oraret ne diſcederem: Abij tamen; ecce factis ne dicam decem aut duodecim extracubiculum paſſibus, vocat me cuſtos; ſymptoma aliquod prauum ipſi contigiſſe, & præſto accederem. Ego recordatus eorum quæ dixerat ad ipſum ſtatim veni. Exanimatum & mortuum reperi. Miratus quod tam inopinato obitu captus eſſet, nouaculam petij; Aperto thorace capacitas ſemiplena ichoribus rubris inuenta eſt; pulmonum dimidia pars tota corroſa velut à muribus & felibus. Hic nota quantam habeat virtutem fides ægrorum in medicos nam diſceſſus meus tantam humorum eius agitationem fecit, vt extrauaſati & in cor inſilientes ſubito ipſum ſuffocauerint.

De morbis Abdominis. *Obſeruatio. VI.*

Curaui ægrotum abhinc triginta aut circiter annis cauſode laborantem bilioſum tempore caniculæ. Cui ſeptimo morbi die conuulſio omnium corporis partium cum omnium ſenſuum læſione ſubito & inopinatè accidit. Quærenti mihi vtrum ante illa ſymptomata aliquid vomuiſſet reſponſum fuit, ægrum paulo ante bilem per vomitum reieciſſe. Tum ſuſpicatus bilem motu critico ad os ventriculi fluxiſſe quæ præ imbecillitate partis vel humoris craſſitie retenta eſſet, & per neruos ſextæ coniugationis cerebro, eiuſque ventriculis mediantibus vaporibus repletionem & obſtructionem peperiſſet. Propinaui è cochleari vomitorium, à quo æruginoſa & porrhacea multa euomuit: poſt quam euacuationem ceſſauit paulatim conuulſio; ſenſus & pulſus factis frictionibus frequentibus redierunt; & tandem poſt tres dies A

integrè ſanatus eſt. Hic nota motum humoris billioſi ad os ventriculi ſimultaneum per ſymptomata & coniecturas apprimè cognitum fuiſſe; eiuſque vacuationem opportunè per vomitum adiutam fuiſſe.

Obſeruatio. VII.

A Fuit a me & Domino Nicol experto chyrurgo curata iuuencula annor. circiter viginti quatuor hac in vrbe Iſchuria laborans à caſu alicuius mori dum folia ad lumbricos ſericeos colligeret. Cum enim ictum in pectine accepiſſet, inflammationem veſica concepit & in ſphacellum verſa eſt vt ex infra dicendis dignoſcetur idque propter copioſum ſanguinem in capacitatem abdominis extrauaſatum.

B Huic tumor ſub vmbilico apparuit profundus, à cuius apertione nihil excretum fuit donec ſpecillum poſt diuiſam inuſtam cutem ad capacitatem perueniſſet. Quo facto ſex aut ſeptem libræ ſanguinis ſanioſi fœtidiſſimi per varias vices ex-

tractæ fuerunt, imo & membranæ portiones nigræ & fætidæ; & tandem ipſa veſica tota putrefacta diuerſis vicibus per hanc aperturam ablata eſt; & ægra ipſa manu propria canalem vretram putridum extraxit. Ab hac extractione melius ſe habuit, breui tempore ſana euaſit, apertura clauſa eſt ſed vrinam in poſterum continere non potuit, quod quidem incommodum vt ſubleuaret, ſpongiam à ligatura retentam inter coxas geſtandam curauimus vrinæ recipiendæ gratia, quam per interualla turgidam comprimebat. Vixit poſtea ſana per annum, à quo febre quartana continua correpta mortua eſt. Poſt obitum ob incuriam aperta non fuit vt videretur quid loco veſicæ natura genuiſſet.

Obſeruatio. VIII.

Plures vidi Iſchuria laborantes ab inflammatione ſphincteris qui introducto in veſicam cathætere & vacuata magna vrinæ copia repente ſubleuati fuerunt. Sed cum ſuppreſ- *A*

ſio per interualla repeteret, & per interualla eiuſdem cathæteris intromiſſione vrinæ quoque vacuatio molienda eſſet. Tandem facta ad collum veſicæ, noua fluxione & oborta maiori inflammatione non potuit amplius introduci. Hinc Eryſipelas, ab hoc gangræna, contigit, ſphacellus, & tandem mors.

Quem vt præcauere valeamus errorem cum ſemel cathæter in veſicam intromiſſus fuerit, ipſum ſemel introductum per duos & tres dies in mentula & in veſica relinquendum iudicaui vrinæ paulatim extrahendæ gratia; quoniam intra hoc dictum tempus inflammatio ſphincteris remittit, maxime ſi fotus anodinos externos & cataplaſmata anodina admouerimus, atque in veſicam ſerum lactis, vel decoctum hordei ſubtepidum inieccerimus; non per ſyphonem qui admitti nequiret prohibente cathætere, ſed per veſicam ſuillam dicto liquore ſubtepido ſemiplenam cuius veſicæ ſemiplenæ orificium extremitati

Catheteris alligabimus, ac demum in capacitatem veſicæ dictum ſerum comprimendo iniiciemus. Inflammatione verò tranſacta ipſum cathæterem tutò & ſine periculo auferemus. Hac non ſeruata circunſtantia plures vidi interiiſſe; qui ſeruata quidem ſanati fuiſſent.

Obſeruatio. IX.

Dominus d'Andre Archypresbiter Eccleſiæ Metropolis Dupuy, Iſchuria præhenſus multis & variis remediis à me præſcriptis irritis mortuus eſt. Aperto cadauere à Dominis Nicol & Iuſtemond chyrurgis expertibus, eius veſica tota putrefacta inuenta eſt ita vt vrinam continere non poſſet ſed ob eius lacerationem per capacitatem abdominis ſparſa eſſet, imo ante ægri obitum eam per os & ſeceſſum reiecerit coloris nigri & odoris fætidi. Inuenimus autem cauſam huius ſuppreſſionis eſſe carnem duram in infima parte colli veſicæ magnitudine oui, coloris albi; col-

lum veſicæ omnimode obſtruentem quæ impediuit cathæteris intromiſſionem; cum tamen nullum aut certè leuem dolorem ex dicti cathæteris intromiſſione vel prementibus nobis perſenſerit.

A Vidit Hollerius vt reffert in ſcholiis Duretus cap. de ardore vrinæ, Dominum d'Annebaut Admiralem Galliæ Iſchuria detentum à carne in collo veſicæ calculum ementiente, qui ſectus fuit pro calculoſo & ablata illa carne ſanatus eſt.

Obſeruatio. X.

B Vidi Mercatorem Iſchuria laborantem qui vermem pulmi longitudine teretem minxit, & poſtea Iſchuria ſanatus eſt.

C Hollerius cap. de ardore vrinæ reffert ſe vidiſſe Dominum Baucler cauſidicum vermem per vrinas emiſiſſe.

D Vidi hac in vrbe Dominum Dandonuille ſtranguria laborantem vermem acuto capite minxiſſe longitudine tranſuerſi digiti.

Obſeruatio. XI.

Vidi Mulierem Romæ anno 1639. Mercatoris vxorem quatuor habentem pueros, cui, cum circa annum ætatis ſuæ trigeſimum menſtrua deffeciſſent, enatus eſt illi priapus ex nympha dextra ad latus vuluæ, qui adeo per aliquot annos increuit vt ad genu elongaretur, & magnitudine ſeu craſſitie brachium æquaret, venas maiores quam ſit baſilica & cæphalica brachij haberet, & in totum mentulæ, & priapo Aſini aut muli aſſimilaretur, niſi quod in extremitate quæ erat plana & lata nullum foramen appareret per quod ſemen poſſet eiaculare. Tamen in coitu erigebatur & in congreſſut coniux illum ad latus diuertere cogebatur, vt Domino Matthæo pariſij Romano, mihi que Doctoribus Medicis & tribus etiam chyrurgis ad eius curationẽ vocatis aſſeruit. Dixitque nobis hæc mulier hanc carnem (nam ita vocabat) ſingulis menſibus accreſcere, adeo vt metueret ne terram A

longitudine temporis extremitate attingeret. Huic ex mente omnium radix priapi funiculo ſericeo alligata fortiter eſt verſus radicem, & per tres dies conſequentes funiculus arctius & paulatim conſtrictus eſt vt ſenſus deperiret; tertio vero die fuit amputatus iuxta radicem prope funiculum, & ignis deſuper admotus: his factis vlcus per quindecim dies ex arte curandum præſcripſimus & ſanata eſt omnino deſtituta horrendo illo priapo.

A Phaëtuſæ in Abderis barbam veniſſe, & Namiſiæ in Thaſo ob retenta menſtrua narrat hypp. 6. epidem.

B Vidi Auenioni anno 1637. ancillam, quæ cum filia Domini ſui noctu decumbens ipſam grauidam reddidit. Capta, & in domicilium ſancti Petri deſtinatum edicto iudicum transmiſſa, & à medicis & chyrurgis deputatis viſitata partes mulieris pudendas optime conformatas & conſtitutas habere inuenta eſt, verum cum declaraſſet titillatis obſcænis partibus carnem ex vuluæ inter-

terha parte prodire qua cum filia noctu ſæpe congreſſa eſſet, poſt titillationem factam in conſpectu adſtantium prodiiſſe viſa fuit, & de rei nouitate à Medicis & Chyrurgis apud iudices delatum eſt.

Zacutus luſitanus, Paræus, & plures alij aſſerunt ſe vidiſſe mulieres in viros verſas eſſe hoc eſt penem & teſticulos foras prodiiſſe & de his apud iudices detuliſſe. *A*

Obſeruatio. XII.

Vidi Romæ anno 1638. Gallum nomine Ioannem Beauuois diæceſis Auenionenſis annorum natum quadraginta, habitu ſanguineo cum magna barba, qui ex ſuo relatu pro filia baptizatus fuerat & nomen Eliſabetæ datum, quique muliebrem veſtitum ad annum vſque decimum octauum tulerat, donec barba ipſum deponere coëgiſſet. Eius autem obſcœnæ partes monſtruosè conformatæ erant, ſiquidem vmbilico carebat, totumque eius abdomen ad pubis vſque regionem tenſum appa- *B*

rebat, iuxta quam primum ſe offerebat caro ſpongioſa, rubra, perpetuo madida ouum magnitudine refferens, quam carnem, putaui eſſe exteriorem & carnoſam ſphincteris veſicæ partem, in cuius lateribus duo erant foraminula à quibus perpetuò ſtillabat aqua, paulo infra aderat protuberantia carnea nuda, & muſculoſa, duorum digitorum tranſuerſalium longa, ad penis modum efformata, ſed quæ glande in extremitate carebat, nullaque pelle operiebatur; immediate verò poſt rima leuis apparebat quæ minimum digitum vix admittere potuiſſet, nullis hinc & inde ſtipata labiis, neque nymphis. Atque hæc quod ad partem anticam.

A Quod ad poſticam nullum habebat foramen inter nates, per quod excrementa craſſa excerneret, etſi partes poſteriores reliquas ſimiles aliis haberet. Tribus autem aut quatuor horis poſt paſtum feces per os reiiciebat, quæ aliquando liquidæ, aliquando duræ erant, magnumque habebant fætorem. Attamen quan-

doque per duos aut tres dies ſine vlla huiuſmodi excretione erat, & quod maiori erat admirationi nullis colicis ileique torminibus premebatur, quæ omnia cum tribus chyrurgis in meo cubiculo Romæ propriis oculis & diſtinctè obſeruauimus, ipſique chyrographum de ſtupenda conformatione dedimus.

Obſeruatio XIII.

Vidi Burgi S. andeoli infantulum natum ſine foramine in podice qui poſt mortem me præſente ſectus fuit, inuenimus autem ipſius inteſtinum rectum in extremitate ſua prope caudam admodum amplum, adeo vt folliculum magnitudine æquaret, in capacitate abdominis fluctuans non adhærens, neque apertum & ſine ſphinctere ani. A

Obſeruatio XIV.

Contigit filiam Romæ vidiſſe annor 12. quæ laborauit abſceſſu in regione abdominis quo rupto ſemper B

in poſterum feces ab eodem vmbilico excreuit.

A Vidi alteram Burgi S. Andeoli annorum 25. quæ poſt abſceſſum in umbilico factum & ruptum, feces ab eo tempore ſemper per vmbilicum deiecit, cum tamen per ſeceſſum portionem etiam deiiceret.

Oſeruatio. X V.

B Mercator hac in vrbe laborauit abſceſſu in hypogaſtrica regione diuturno & proffūdo, quo rupto vermes ab eodem abſceſſu excluſi ſunt.

C Idem accidit pharmacopolæ qui ab apoſtemate abdominis rupto vermes etiam excreuit hypp. lib. 7. epidem. ait Dinium vmbilico ſauciato vermem craſſum per ipſum vmbilicum emiſiſſe.

Obſeruatio. X V I.
De Ileo.

D Vidi multos variis ilei ſpeciebus laborantes, quorum aliqui ſanati ſunt, alij vero mortui. Corpora mor-

tuorum propriis manibus aperui & ilei differentias à me inuentas refferre optimum iudicaui.

A Prima ilei ſpecies, fuit inflatio inteſtini cæci, quod folliculo aſſimilatum inueni, & quod ollam craſſitudine æquabat. Hæc inflatio inteſtini à flatibus producta excrementorum deſcenſum retinendo prohibuit; hinc regurgitatio vſque ad ventriculum hinc vomitus ferè continuus cum motu periſtaltico, & à vomitu virium imbecillitas & ſyncope & tandem mors. Aliquos tamen ſanauimus hac ſpecie remediis relaxantibus & carminantibus internis & externis frequenter repetitis.

B Secunda ſpecies, quam & differentiam vulgò appellamus, eſt reduplicatio inteſtini in ſe ipſum quaſi tibiale aliquod inuerſum & hac ratione excrementa craſſa præ obſtructione labi non poſſunt; vt ipſe propriis oculis vidi, & propriis manibus poſt mortem ad priſtinum ſtatum magno etiam conatu reſtitui. Quam ſpeciem vidiſſe reffert Realdus Columbus inſignis Anatomicus

in quodam ileo demortuo quem poſt mortem aperuiſſe aſſerit lib. de his quæ raro eueniunt. Et hæc ſpecies incurabilis eſt.

A Tertia ſpecies fit, quando inteſtinum inſeritur ſecundum aliquam portionem in fiſſuram & ruptionem peritonæi in parte interna factam, idque præ aliquo violento motu, ſaltu, conatu, &c. Quod ruptio ſæpius in partubus laborioſis contingere ſolet; in quibus aliquando in pectine, aliquando ad latus vel in medio ventris peritonæus rumpitur, & poſtea præ aliqua externa & violenta cauſa, inteſtinum in dictam fiſſuram inſeritur ſaltem ſecundum aliquam portionem, vbi compreſſum deinde permanet, cum tamen exterius nihil appareat. Hanc ilei ſpeciem vidi in vetula quam hoc morbo mortuam propriis manibus aperui in dicto Xenodochio Romæ. In hac vetula ilei portio in fiſſuram quæ inter peritonæum & muſculos tranſuerſalem & obliquos à longo tempore contracta fuerat, intricata apparuit. Ita vt coactus fuerim ſcapello rimam ampliare

vt inteſtinum retraherem. Hanc tamen vetulam anno ante elapſo, hoc morbo & hac ſpecie ilei laborantem & ſtercus per os reddentẽ ſpatio quatuordecim dierum, quod mirum eſt, per hauſtum mercurij crudi & rotularum plumbearum curaueram hoc modo ſequenti.

Hauſta magna & craſſiori rotula plumbea, duo baiuli fortes ipſã rectam & ad pedes ſtantẽ concutiebant confeſtim ab eius hauſtu; atque ita motu illo violento inteſtinũ intricatum retractum fuit. Anno tamen, poſt curationem elapſo, cum in eundem morbum denuo incidiſſet; eadem remedia inutiliter exhibita fuere & mortua eſt: qua aperta inueni inteſtinum mòdo quo ſuprà in fiſſura intricatũ quod ab hac intricatione vſque ad os ventriculi ſtercore plenũ erat; & in parte infima vacuũ. Et prætere à quod notatu etiam digniſſimum eſt. *A*

Vidi foramen exiguum prope rimã peritonæi in inteſtino factum à Mercurio crudo aſſumpto, quod præ obſtructione exire non potuiſſet; & per capacitatem abdominis per hoc dictũm foramen emanauerat. *B*

A Quarta ſpecies omnium frequentiſſima fit, quando in herniis inteſtinum ad ſcrotum labitur & poſtea reponi nequit in hominibus. Nam in mulieribus aliquando inteſtinum rupto peritonæo in vmbilico, interdum in partibus lateralibus, foras egreſſum & flatibus aut excrementis craſſis turgidum reponi non poteſt atque hac ratione eadem quæ hominibus ſymptomata accidunt,& tandem mors. Sæpe etiam peritonæus in ipſis relaxatur aut rumpitur qua parte vena cruralis ex iliis foras progreditur, atque per hanc viam inteſtinum à conatu aliquo foras exitum & flatibus aut excrementis tenſum introduci ſæpe non poteſt. Quod ego in quatuor obſeruaui, quarum vna ſecta fuit ſed periit.

B Sanauimus tamen plures homines; imò & fæminas ſanari poſſe affirmamus maximè in principio, & ſequentibus remediis.

C Primo iniiciantur frequentes clyſteres euacuantes. Tum emollientes parati ex decocto inteſtinorũ vervecis, vel ex ℔.vna buthyri,vel ex

℔. 1. adypis veruecis liquatæ &c. Quod ſi flatus cauſæ ſint etiam carminantes & acres, oleum amygdalarum dulc. recenter extractum ad ℥ 6. vel 8. per os ſæpius propinetur. His factis ingrediatur ſemicupium paratum ex oleo oliuarum ſubtepidum ita vt totus venter in dicto oleo madeat ad emolliendum, relaxandum, & dolorem ſedandum; poſt exitum, deterſionem, & hauſtum iuſculi vomitorium propinetur forte ex vino Emetico in dupla doſi, vel ex ʒ ij. vitrioli albi vomitiui, vel tantumdem pulueris radicis Azari cum hydroleo diſſolut. Quo quidem violento vomitu, & vehementi inteſtinorum motu, eorumque ad ſuperna forti retractione, intricatio inteſtini ſæpius expeditur. Quod ego ciui huiuſce vrbis hoc morbo laboranti à deſcenſu ilei ad ſcrotum producto contigiſſe vidi. Simile accidit Monachæ vrbis viuarij, cui præ conatu rupto peritonæo prope vmbilicum Ileon inter muſculos & tegumenta externa implicatum fuerat, & tamen poſt viginti duos à morbo dies per

violentum inteſtinorum motum à vomitu factum reductio facta eſt, & à reductione ſanatio. Eodem ferè modo quo funis impactus confertim & fortiter attractus ab infarctu liberatur.

A Hæc bis aut ter repetita ſi non proficiant, propina mercurium crudum ad ℔. ß. vno hauſtu, quod nos experti ſumus & firmant practici hac tamen ſeruata circunſtantia nempe vt prius inteſtina ſuperiora fuerint vomitu exinanita, vt facilius penetrare poſſit, ſtatim verò ab hauſtu æger duobus baiulis fulcitus ambulet, & ſaltet. Hoc non iuuante rotulas plumbeas craſſiores ſumat iiſdem ſeruatis circumſtantiis.

B Irritis omnibus folle fabrili vel lamario per anum inſuffletur quantum æger ferre poterit authore hyp. 2. de morb. firmant celebriores practici vt dilatata flatibus inteſtina faciliorem excrementis præbeant exitum, fiſtula verò pharmacopolæ, quæ introducenda prius in anum eſt, folli fabrili recte aptetur, ad inſufflationem commode agendam,

Quod ego in praxi obſeruaui.

Aliquos ſanauimus hoc modo, Ægrum ſupinum ferri à baiulo pedibus ſurſum & capite deorſum curauimus, ita vt æger tibias, ſupra ſpatulas baiuli haberet & caput reſpondens natibus eiuſdem baiuli. Hoc modo geſtatus quo tempore à baiulo benignè & ſæpius concutiebatur, eodem ipſo chyrurgus inteſtinum manibus reponere conabatur ad hoc, vt eo ipſo tempore inteſtina ad centrum ſuum & ſedem internam proprio motu traherentur, & à manibus chyrurgi peritè & dexterè propellerentur. A

Vltimum remedium eſt apertio abdominis; dummodo intricatio inteſtini & exituer ſeu enterocele ſenſu tàctus percipiatur, nam in aliis ilei ſpeciebus iſta operatio molienda non eſt. Ratio vero operationis talis eſt. B

Primò æger mingat, ne inflata lotio veſicula in diſciſſione laceretur; poſtea in tabula extendatur & ligetur tum brachiis, tum coxis ſemiflexis propè inguem; vel ſaltem baiulis recte teneatur, ne motu ope- C

rationem perturbet. Tum chyrurgus paulo ſupra relaxationem tegumenta externa cum carne manu ſiniſtra teneat, mox nouacula ſecet vſque ad peritonæum longitudine trium digitorum tranſuerſalium, deinde lentè & prudenter peritonæum ſcindat vt digitũ introducere poſſit. Hoc facto digitur inter inteſtinum & peritonæũ inſinuetur vſque ad relaxationem quod totum poſteà diſſecetur cum productione abdominis per quam inteſtinum lapſum eſt & quæ ſtrangulationem fecit. Denique inteſtinum reponatur & vulnus ſuatur relicto in parte infima paruo foramine vt pus à ſanguine extrauaſato
A formandum exeat; quo remedio plures deploratos ſanauimus.

Quam curationis rationem excogitaui Romæ in dicto Xenodochio ſancti Ioannis Laterani anno 1638. Vbi propter humiditatem aëris & alimentorum ſolitorum cruditates, media ferè pars hominum relaxata eſt. Primo hoc morbo mortuis operationẽ fecimus, deinde verò adhuc viuentibus, è quibus alij mortui

ſunt, alij ſuperſtites euaſerunt. *A*

Anno 1650. in vrbe Burſandeolenſi vitri portator hac ſpecie ilei detentus me præſente & hanc operationem edocente ſectus fuit à Domino Nicol experte chyrurgo modo quo ſupra, cum alia prius fruſtrà tentata eſſent. Sanatus fuit non modo ab ileo, ſed etiam à ſua relaxatione quia cicatrix facta lapſum inteſtini prohibuit. Nupſit poſtea Petrelatæ, plures habuit pueros & vocatur Mre. François. *B*

Anno 1660. Dominus Eſpiard Grapharius huiuſce vrbis annorum natus ſeptuaginta hoc morbo correptus, ſectus fuit à dicto Dom. Nicol me præſente & ſanatus eſt; & viuit adhuc. Dum hæc ſcribo.

Obſeruatio poſt operationem factam neceſſaria. XVII.

Nota in omnibus qui pro ileo *C* morbo ſanando diſſecti fuerunt, ſimul & in omni operatione paracenteſis, peritonæum inflammari & Eryſipelate corripi qua nempe parte ſectum fuit. Et licet nullus calor in-

tenſus, nec rubor externus appareat, tamen in parte interna peritonæum eryſipelatoſum eſt & rubrum, quæ inflammatio dolorem vehementiſſimum producit, qui operationem ſemper ſubſequitur. Quod ſæpius diſſectis ex hoc morbo cadaueribus imo & hydrope mortuis quibus paracenteſis facta fuerat, propriis oculis obſeruaui & aliis obſeruandum oſtendi; (adeo peritonæum vulneratum ad inflammationem ſuſcipiendam idoneum eſt, maximè cum à ſeroſitate acri vel à fluxione facta pungitur & alteratur) quare vitandi Eryſipelatis gratia, poſt operationem, hora interpoſita, mittatur ſanguis è brachio & reiteretur ad ſiſtendam fluxionem & inflammationem cohibendam: idque pro morbi exigentia & prudentis medici conſilio (ſed hoc, in curando ileo non hydrope agendum eſt.) Poſt phlebotomiam fouebitur pars vulnerata lacte ſubtepido, vel altero anodino, & cataplaſmate & lacte cum mica panis &c. parato admouebitur, & innouabitur per aliquot dies.

Ego vitri portatori ſupra citato ſanguinem mittere decies intra plures dies coactus fui, maxime quia in apertura abdominis veſica vulnerata fuerat, quam repoſito inteſtino, primò ſuendam iuſſi, ſutura pellionis cum duplici filo cera prius oblinito ne tam cito putreſceret; & tamen vulnus veſicæ coaluit, poſt coalitum fili portio per vrinas, altera vero ſimul cum pure exiuit per foramen quod in parte infima ſuturæ prope pubem ad exitum extrauaſati ſanguinis & puris relictum fuerat. Et perfectè ſanatus eſt. *A*

Hæc omnia modo præſcripto & fauſto à nobis acta fuere, conſilio ſimul accito clariſſimi & Doctiſſimi viri Ioannis Anthonij Amordei D. M. Expertiſſimorum Chyrurgorum D. Anthonij Chayx, Franciſci Goudhail,& Petri Driuet. *B*

Quinta ſpecies iliaci morbi fit ab ariditate craſſæ materiæ,ſeu ab ſtercore exſiccato, quod obſtructionem & coatctationem inteſtini omnimodam pariendo inflammationem facit. Docente Galen. lib. 6. de loc. *C*

affect. cap. 2.

A Hanc ego ſpeciem vidi anno 1669. in raſtico oppidi vauuiniere, cui cum multa remedia ſupra præſcripta incaſſum celebrata fuiſſent & per viginti quatuor dies continuos per os excrementa craſſa vomuiſſet; tandem ex iuſſu & præſcripto duplam doſim vini emetici vno hauſtu ebibit; à quo, facto fortiſſimo per vomitum conatu, reſerata & expedita fuit obſtructio, dura & exſiccata deiecit & ſanatus eſt.

Obſeruatio. XVIII.

B Monacham vidi Iuuenem & quadratam quæ mania ſanguinea laborauit. Vocatus ad curationem ſanguinem mittendum imperaui, qui licet in magna copia e brachio, & è talo alternatim & per interualla extraheretur; tamen neque virtus, neque pulſus, neque color, neque delirium vllo modo remiſerunt. Perſeueraui in extractione ſanguinis per interualla, adeo vt intra duos dies quindecim libræ ſanguinis ab

vna vel altera vena extractæ fuerint: & quod mirum eſt ſine vlla virium deperditione & cum ſemper æquali ſalientis ſanguinis impetu, & ſine vlla delirij remiſſione. Quo viſo veni ad vſum hellebori nigri modo Quercitani præparati cuius doſim proportionatam pluries aſſumpſit; omnia incaſſum. Tandem cum in obſcuro loco detenta per aliquod temporis ſpatium cum debito regimine permanſiſſet ad priſtinam tandem ſanitatem reſtituta eſt.

Obſeruatio. XIX.

Vocatus ſimul cum Dom. Anton. Amordei Doct. Medic. Clariſſimo ad curationem Dominæ de Bonnot excarnis & macilentæ grauidæ octimeſtris, dolore vehementiſſimo & implacabilli circa fæmineum detentæ, in quo calor deurens intus & extra ſine tamen inflammatione ſentiebatur; pruritus aderat inſignis, & puſtulæ exterius apparebant. Anodina & Narcotica omnis generis ſine leuamine celebrata fuere, po-

tiones incraſſantes & ſomniferæ exhibitæ; boli, clyſteres, purgatiunculæ, omnia incaſſum. Tandem ad miſſionem ſanguinis venimus, quo extracto cum magno impetu ad libram vnam parum remiſit dolor cumque virtute robuſta exiſtente ad libras duas eductus eſſet dolor omnino ceſſauit. Sub veſperam rediit vehemens, cæteris nihil profficientibus iterum miſſus eſt ſanguis in tribus catinis, & ceſſauit vſque ad mane. Horis matutinis recurrit, ipſa reclamante hoc ſolo remedio tanquam incantamento aliquo penitus dolor extinctus eſt. Ita vt per ſex dies, bis ſingulo die ipſa expetente & reclamante cæteris inutilibus ſanguinem mittere coacti fuerimus, nempe ſerò, & mane, ad libram vnam & ſemis pro qualibet vice, ita vt intra illós ſex dies decem & octo libræ ſanguinis extractæ fuerint, vt appenſa ſtatera detractis peluiculis ponderauimus. Tandem recurrente per interualla affectu vnctione vnguenti Mercurialis vſi fuimus ex conſultò in plan-

ta pedis in cruribus & tibiis parte domeſtica mane & ſero continuando, donec ſubliuatione ſuborta, & ad extima propulſa materia dolor omnino ceſſauerit nec amplius in poſterum recurrerit.

Quibus remediis nec debilitas vlla nec abortus contigit. Sed exacto nono menſe maſculum ſanum & vitalem fæliciter peperit. A

Obſeruatio. X X.

Anno 1645. vidi octo hydrophobos qui à rabido cane demorſi omnes in rabiem adacti ſunt. Vnus quidem trigeſimo die à morſu, alter poſt tres menſes, alius poſt quatuor; & alius poſt ſex; alij circum circa, qui omnes intra duos, tres, aut quatuor dies à rabie ſuborta mortui ſunt. Accidit autem quid notabile vni ex his in oppido ſancti Montani Iuueni & Euſarco, cui ex iuſſu pedibus & manibus ligatis miſſus fuit ſanguis è baſilica dextra & extractus vna & eadem vice ad quinque vſque paropſides plenas, ita vt eſſent B

ferè viginti libræ, & quod mirum erat poſt inauditam illam vacuationem ſimultaneam pulſu & viribus ſemper conſtantibus adhuc ſanguis exilibat tanto impetu vt ad duos palmos lecti pedes tranſiliret. Quem quidem in foueam horti proximi coniiciendum & ſepeliendum curaui. Obſtricta vena oblatus fuit crater aqua plenus pluries, quem dentibus arripuit & partem aquæ vel inuitus hauſit. Paulo poſt dormiuit aliquamdiu: excitus ſana mente ratiocinatus eſt per ſemihoram, & poſtea in furorem iterum adactus mortuus eſt nocte ſequenti.

A Eſt & aliud notabile quod mihi accidit dum ipſum alloquerer iuxta lectum, neſcio quo pacto portio ſpumæ ex ipſius ore prodeuntis ſupra manus meæ externam partem deciderit: quo facto hæc pars quam ſpuma tetigerat ſtupida ſubito manſit, nec quicquam ſenſibiliter proffuit quouſque cucurbitula applicita & ſcariſficata extracto veneno ſenſum reſtituit. Multum autem timoris & formidinis mihi attulit, maximè cũ

apud Gal. lib, 6. de loc. affect. cap. 5. ſcriptum legerim. Tanta fit in rabido humorum corruptio vt ſi vel eius ſputum humanum corpus tetigerit etiam rabiem excitare poſſit. Quod etiam accidiſſe reffert D. le feure duabus Dominis pictauienſis ciuitatis; quæ cum ſpumam duorum catellorum rabidorum in extremitate ſuæ togæ impreſſam incautè manibus terſiſſent, poſt duos annos rabidæ factæ mortuæ ſunt.

Obſeruatio. X X I.

Curaui mulierem temperamento bilioſo macilentam,ætate conſiſtenti , & fluxioni acri ad pulmones obnoxiam,quæ intra octo aut decem annos quater aut quinquies ſuffocatione pulmonum correpta eſt. Ipſam difficultas ſpirandi corripiebat interdum noctu poſt primum ſomnum, interdum diu in medio prandij,adeo vt intra ſemiquadrantem ferè omni reſpiratione & loquela priuaretur; mentis compos erat, pulſus eius tenſus & durus , calore ardentiſſimo *A*

vrebatur ſignis & geſticulationibus per cubiculum progrediens ſe citò ſuffocandam demonſtrabat. Hoc in affectu vrgentiſſimo, relictis omnibus ſubito venam aperiendam iuſſi & extracta libra vna ſanguinis paulo liberior facta fuit reſpiratio, vox recuperata, & poſt reiterationem detracta ſarcina, & compeſcito feruore affectus remiſit. Verum cum periodice alternis diebus & eadem hora repeteret, purgationem cholagogam lenem tamen aſſumendam curaui; adeo vt vacuatis bilioſis, aduſtis, & ſulphureis excrementis, quæ ſubito accenſa ad pulmones debiliſſimos per ebullitionem & efferueſcentiam rapiebantur, paulatim ad naturalem ſtatum reuerſa ſit. Atque cum ipſa eodem morbo & iiſdem ſymptomatis ſæpius & diuerſo tempore corriperetur, eadem quoque medendi ratione curata fuit.

A Hæc ſunt inter obſeruata rara quæ abhinc triginta quinque annis in praxi continuo exercenda peregi illuſtriora & clariora. Si plura velis lege hiſtorias epidem. hyp. Zacu-

ti Luſitani praxim admirandam. Realdi Columbi libellum de his quæ rarò eueniunt, pleroſque alios qui ex profeſſo de hac materia ſcrip-ſerunt. Ego verò paucis contentus ſed veris quibus ſecurò me teſte ocu-lato fides habenda eſt.

Obſeruata ad praxim exercen-dam ſummè proficua.

De minera febrium intermittentium.

NOta focum, mineram, inqui-namentum, & materiam harum febrium intermittentium varias ha-bere ſedes. Nam aliquando eſt in ventriculo, vel caua iecoris, vel ve-nis mezenterij, ſplene, inteſtinis, vel denique in habitu corporis; quod ex ſolutione harum febrium fit ma-nifeſtum. Nam quando eſt in ven-triculo vomitione ſoluitur, quando in inteſtinis, Mezenterio, vel ca-ua iecoris per ſeceſſum, cum in ſple- *A*

ne, gibba iecoris vel venibus, per vrinas; cum in habitu corporis per ſudores, quod firmat Gal. lib. 2. de different. febr. Qui, inquit, tertiana detinentur amaram euomunt bilem, aut per ſudores, aut per vrinas, aut per ſeceſſum illam excernunt. Ergo à poſteriori, nempe ab excretione ſedes morbi denotatur. Vomitur bilis, ergo ſedes eſt in ventriculo. Sudoribus vacuatur, ergo adeſt focus in habitu corporis, &c. Sic docet etiam Gal. lib. 2. ad Glauc. indicatio, inquit, ex poſitu loca per quæ ſit vacuandum & quo pacto demonſtat. Idem probat text. ſequenti eodem libro. Laborantibus conuexis hepatis partibus per vrinam trahere oportet; concauis per ſubductionem alui. &c.

De diſpoſitionib. ad morbum.

A Nemo incidit in morbum ob errores in pro catarcticis tantum admiſſos, niſi corpus ad ipſum recipiendum diſpoſitum habeat; Vnde 2. de differ. febr. ait, nulla cauſa ſine

patientis aptitudine agere poteſt. Quia alioquin ab eadem cauſa omnes afficerentur, quod manifeſtum apparet in peſte, qua tantummodò capiuntur qui ad ipſam ſuſcipiendam ſunt diſpoſiti, licet omnes ab eadem cauſa afficiantur, videlicet ab aëre putrido & infecto ob mixtionem putridarum exhalationum (non vero ob vitium ſubſtantiæ propriæ, quia ſi hoc eſſet omnes ab eadem cauſa infecti morerentur) aër autem plus & minus vaporibus inquinatur, atque adeo, plus & minus ſalubrior, vel inſalubrior exiſtit.

Aër eſt cauſa morb. popul.

Quod autem aër corruptus, ſit cauſa morborum popularium extat hypp. ſententia lib. de homin. natur. & de ratione victus, allata à Gal. comm. 21. aph. lib. 2. Eſt autem, inquit, aura quam ducimus, reddimuſque morborum populariũ cauſa: planum eſt enim victus rationem eorum cauſam eſſe non poſſe, cum promiſcuè tam iuuenes quam, A

ſenes; tam viros quam mulieres, abſthemios denique iuxta ac Thoreſſomenos malum hoc corripiat. Vbi abſthemios aquæ potatores, & thoreſſomenos vino pleniore gaudentes appellat.

Quomodo fiat pleuritis.

Nota quatuor modis fieri pleuritidem veram. Primò, cum vena axigos ſanguinem excernit in pleuram, & hæc partim per ſputa, partim per miſſionem ſanguinis, partim per tranſpirationem vacuatur: imo & aliquando in empyema degenerat. Secundò, fit cum vena intercoſtalis nutriens quatuor coſtas ſuperiores ſanguinem effundit. Tertiò, cum vena mammaria ſanguinem excernit. Quartò, cum vena thoracica in partes poſticas ſanguinem effundendo pleuritidem poſticam producit. Quare hyp. lib. de ratione vict. in acut. & Gal. lib. de venæ ſectione ſic habent. Venæ ſectio in pleuritide dolorem non tollit, niſi ad clauiculam pertingat; vel ad brachium,

vel ad mammam; quo caſu internam cubiti venam ſecare expedit, neque vt copioſè auferatur eſt cunctandum. Vtra autem fuerit parte in ea ipſa. &c.

De Retroceſſu humorum ad Ima.

Retroceſſus & remeatus humorum extrauaſatorum fit ad ima, vel vi naturæ, vel vi morbi, vel artis opera. A

Fit vi naturæ vt in purulentis, & hydropicis thoracis aliquando videtur; qui per ſeceſſum, vel per vrinas pus vel aquas euacuant ex lib. 6 de locis affect. Andræas Laurentius & Theophile Gelee, lib. 9. quæſt. 12. Hollerius & Duretus cap. de ardore vrinæ hanc veritatem rationibus & experientiis confirmant. 2. fit vi morbi: quando tineæ, exanthemata, puſtulæ, bubones, peſtes, podagra, & ſimilia malignitate, vel quantitate materiæ naturam grauando & ſuperando ima repetunt, & ægrum occidunt. Tertiò fit artis opera vt in B

ictericis, hydropicis, podagricis &c. in quibus materia ad venas cathartico attracta, & ad inteſtina expulſa per ſeceſſum tandem vacuatur.

A Imo & in pleuritide adhuc in principio per copioſam phlebotomiam ſanguis extrauaſatus, nondum à calore incraſſatus & inſpiſſatus ad venas metu vacui attrahitur & ab ipſis vacuatur. Ita ſuadet hypp. lib. de rat. vict. in acut. & *Gal. lib.* de venæ ſectione. *Zacut. Luſitanus lib.*3. prax. admirandæ obſ. 117. & de Medic. princip. hiſtoria quæſt. 57. idque fit vel per anaſtomoſes venarum & arteriarum, vel per pororum tranſpirationem, firmat quoque Fernel. *meth. medend. lib.* 3. *cap.* 7.

De duritie pulſus.

B Pulſus durities ex tribus fit ex Gal. lib. prim. de differ. febr. & prim. de præſag. ex pulſib. Nempe vel à ſiccitate, quam pariunt febres habituales, diuturnum alij proffluuium, curæ vigiliæ, inediæ, & ſimilia. Secundò, ab inflammatione, vt phleg-

mone, ſchyrro, eryſipelate, tertiò à crudis humoribus, quos praua edulia, fructus immaturi & præcoces producunt, à quibus frigidi, flatulentique ſpiritus ad cor eleuati, & ab ipſo in arterias transfuſi ipſas tendunt & indurant. Qui quidem ſucci pro vt concoquntur pulſum mollem, humidumque efficiunt. docente *Gal. lib.prim. ad Glauc. & Zacut. Luſitan. lib.* 4. de tertiana notha.

De Balneis.

Nota Gal. lib. 11. method. in curatione febrium hecticarum, & in curatione putridarum tam continuarum quam intermittentium conſulere vſum balnei maxime ſemicupij ſub hac conditione vt in declinatione fiat, 2. cum ſignis coctionis, 3. viſcera ſint robuſta & 4. vt in prima regione crudi ſucci non exuperent. *A*

Idem ſuadet lib. prim. ad Glauc. cap. de cura exquiſitæ tertianæ. Balnea, inquit, dulcia exquiſitæ tertia- *B*

næ auxiliantur, quia tum aliquid bilis educunt, tum ſua qualitate humectant, & potentia reffrigerant.

A Lib. verò de vſu part. prim. Sic ait, nihil inuenias quod valido æſtu occupatos potentius reffrigerare aut rigentes frigore promptius calefacere queat quam balneum.

B Lib. vero de Maraſmo. Febribus, quæ ex putreſcentibus humoribus oriuntur, ſi concocti fuerint, balneum remedio eſt.

C Idem dilucidat Zacut. Luſitan. & probat de medic. princip. hiſtoria lib. 3. quæſt. 25.

D Id verum eſſe probauimus quando materia coniuncta & focus ſunt in venis mezaraicis, in mezenterio, vel caua iecoris, maxime cum craſſefit & aduritur ab æſtuante hepatis calore, quia tunc temporis myaſma, inquinamentum, ſeu excrementa in minera relicta per balneum emolliuntur, diſſoluuntur, & ad vacuationem præparantur. Quod ſuadet hyp. lib. de affectionibus praua verò diatheſis partium nempe præcalida intemperies corrigitur, at-

que hoc modo balneum eſt remedium curatiuum ſimul & alteratiuum ſeu præparatiuum. Quando quidem impedit generationem, collectionem, & attractionem excrementi ad focum; quod fit intemperie & debilitate. Hac ratione curauimus Dominum comitem de ſuze febre duplici tertiana intermittente detentum cæteris non proficientibus.

De varietate vrinæ.

Nota conſtantibus temporibus conſtantes morbos & facilis iudicij, inconſtantibus verò inconſtantes & difficilis iudicij fieri, ex hyp. 12. aph. ſect. 3. Hinc fit vt in morbis hiſce temporibus factis vrinæ variæ plerumque appareant, in quibus adeſt modo coctio, modo cruditas. Quod non ſolum a mutatione temporis anni morbi fit, ſed etiam à diuerſa qualitate materiæ, eius diuerſa conſiſtentia, nec non à varia ægrotantis diſpoſitione, & obſtructione, quorũ ratione recrudeſcit morbus. Hanc in co- *A*

ctionibus mutationem ſæpe tumoribus externis videmus contingere, à quibus ad internas affectiones recta fieri debet comparatio. Quare longitudinem & periculum ſignificare docet hypp. 2. progn. quia vt exponit Gal. vrina mox cocta victricem naturam, mox cruda victam ſignificat. Talis autem vrina diuerſa fit à variis portionibus materiæ morbificæ diuerſimodè & ſucceſſiuè alteratis, quia coctio fit per alterationes varias; & non in inſtanti vt in generatione.

A Sennertus verò aſſerit hanc varietatem varium conflictum naturæ cum morbo portendere, in quo tandem conflictu ne natura ſuccumbat periculoſum eſt.

B Similiter excrementa & ſymptomata mox bona, mox praua, ita fiunt, prout natura vincit vel euincitur. Quo in caſu debet medicus antequam deffinitum iudicium exerat ſi fieri poſſit per duos dies aut tres motum morbi, eius vim; & naturæ robur obſeruare; omnia diligenter perquirere, & demum ex

ſyndrome

ſyndrome ſignorum in vnum coactorum præſagire. Nam optima ſigna in morbo qui ad ſalutem certò finire debet per totum morbi decurſum perſeuerant; ſicuti praua ſigna è contrario in morbis lethalibus teſte hypp. progn. lib. 2. ſymptomata ſunt plerumque inæqualia & peſſima; aliquando tamen ſunt minus praua adeo vt bonum exitum polliceri videantur, cum tamen perniciosus & ſubitaneus ſuccedat euẽtus.

Magnam tamen habere rationem nobilitatis ſignorum debet medicus, nam ex prim. de criſ ſæpe vnum ſignum forte multis debilibus fortius exiſtit. v. g. imbecillitas virium & languidus pulſus multis æquiualent bonis ſignis. A

De Veneno.

Nota venenum duplicis eſſe generis; vnum manifeſta qualitate cor inficit, vt arſenicum, auripigmentum, ſublimatum, cicuta, oppium & ſimilia. Quorum prima, qualita- B

te acri cauſtica ſunt & exulcerant; alia verò qualitate frigidiſſima calorem naturalem extingunt.

A Secundum verò à tota ſubſtantia ſeu venenata qualitate calorem maturalem oppugnat.

B Modus autem curandi eos qui venenum aſſumpſerunt, talis eſt. Primò vt venena fuere aſſumpta ſtatim vomitu vacuari debent priuſquam nimias radices agant. Vacuato verò veneno corrigenda intemperies eſt alexiteriis tam internis quam externis.

C Alterum genus veneni à tota ſubſtantia calorem naturalem appugnans, eſt ſcorpionis, viperæ, aſpidis, buffonis, tarentulæ, &c. quod quidem ſua qualitate venefica, ſubſtantia naturæ infenſiſſima & ſubtiliſſima primò partem demorſam inficit, deinde continuitate partium aliam huic vicinam, & ab iſta aliam, donec venenum ad cor peruenerit & infecerit; atque hoc modo progreſſus veneni paulo longior eſt.

D Quod ſi pars demorſa ſit aliquod vas notabile, vt arteria, vena, aut

neruus, aut huic finitimus & proximus aliquis tubus, ſtatim mediante illo partibus nobilibus venenum communicatur & citò perimit. Hoc modo venenum agere & ad cor permeare vel continuitate partium, vel communicatione vaſorum docet Gal. lib.6.de loc. aff. ex ſenſu etiam Pelopis ſui præceptoris. Quo in caſu alexiteriis primo externis vt cautherio actuali, cucurbitula ſupra partem ſcarifficata, Theriaca, Oleo Scorpionum Mattheoli, &c. Internis vt Theriaca, trochiſcis de vipera, Oruietano & ſimilibus pugnandum eſt, venenoque inſiſtendum.

De febre putrida maligna, & contagioſa.

Nota primò quatuor eſſe gradus putredinis, vt ab omnibus recipitur, & à Sanctor. latius extenditur lib.7. cap. 9. è cuius intenſiori gradu malignitas oritur deinde contagium & peſtis, &c. *A*

Primus gradus putredinis fit in febribus putridis continuis, vel intermittentibus lenioribus, & quæ *B*

nullis prauis ſymptomatis ſtipantur ſed mitibus & ſecuris, de quibus Gal. tertio cryſ. ait, mitiſſimæ febres quæ cum ſignis accidunt ſecuriſſimis quarto ſoluuntur die vel prius. &c.

A Secundus gradus putredinis fit, quando aliqua adeſt malignitas ſed tamen facilè curabilis, vt purpuratis febribus & popularibus mitioribus accidit.

B Tertius gradus putredinis eſt malignitas ſæuiſſima & periculoſiſſima, quæ per exantemata nigra & alia praua ſymptomata deſignatur & quæ curatu difficilem reddit affectum.

C Quartus gradus putredinis vltima eſt, & intenſiſſima malignitas, contagioſa, & peſtilens, quæ ægrotantem plerumque occidit.

D Nota ſecundo malignitatem quæ in febribus popularibus & contagioſis inuenitur, aliquando ab aëre & influxu aſtrorum, & aliquando à terra & alimentis originem habere; prout plus vel minus putredinis ex ipſis proficiſcitur. Ita Fernel. lib. 2. de abdit rerum cauſis, Sennertus,

Zacut.luſitan. cap. de peſte, Rondel. &c. Quæ quidem putredo cum inſignis ſit, malignitatem producit, & ex hac malignitate in contagium abit. Hoc autem contagium ſeu ſubſtantia illa vaporoſa maligna & contagioſa ab inſigni putredine originem habens aërem inficit. (nam aër in omni peſte ſemper eſt contaminatus & inquinatus, non in ſubſtantia ſua, quia omnia morerentur viuentia; ſed per mixtionem vaporum putridorum & infectorum; Nam teſte Gal. 2. de different. febr. febris, inquit, peſtilentis aër peſtilens ac putridus maxime eſſe in cauſa videtur, qui quidem pro varietate diſpoſitionum varios quoque effectus producit.) Ergo aër ita vaporibus infectus & inquinatus peſtilens ac putridus ad cor inſpiratione attrahitur, attractus vel ſpiritus inficit, vel humores, vel ſolidas partes

Cum ergo ſpiritus inficit febrem ephemeram producit pernicioſam & contagioſam quæ vt plurimum corporibus ſquallidis & macilentis contingit, & aliquando intra horam *A*

perimit, aliquando intra duas tres aut plures, ſed viginti quatuor horas non excedit, hæc autem febris, Ephemera peſtilens dicitur, quod ſpiritus inſiclat, quibus infectis citò moritur æger; ſicut humoralis peſtilens, quando humores hac malignitate correpti ſunt. Quod latius explanat Dom. l'Emperiere D. Med. Rotomagenſis.

A Hæ autem febres id habent commune quod pernicioſæ ſint & contagioſæ, pernicioſæ quidem quod plures eadem morbi ſpecie & eodem tempore pereant. Contagioſæ verò & epidemicæ quod illud contagium facillimè & leuiſſima de cauſa communicetur, idque hominibus, non verò cæteris animalibus niſi rariſſimè. Nam quælibet ſpecies ſub animali contenta ſuam habet peſtilentiam ſuis tantum indiuiduis communicabilem, ſeu ſpecificam, non verò aliis diuerſæ ſpeciei. Talis eſt hominibus, peſtis, Trouſſe Galent, fievre à la mode &c. Pueris morbilli & variolæ. Ouibus la piquotte, Equis le farcin &c.

Cognoſcuntur autem febres perni- A
cioſæ, contagioſæ, & epidemicæ à calore miti, ex vrinis laudabilibus cum tamen febris intenſa ſit, nulla ſitis eſt, nullus dolor, ſed virium proſtratio, pulſus paruus ac frequens, anxietas magna & ſæpe paraphrænitis. Quod ſi malignitas ſit tantum in ſpiritibus & non in humoribus, tunc temporis nec purgatio, nec miſſio ſanguinis locum habent, neque etiam in principio.

Primo quia debilitando corpus iam B
debile magis venenum intus penetraret, & citius cor opprimeret pauca exiſtente ob debilitatem reſiſtentia. Secundo quia per euacuationem humores agitantur atque hac agitatione citius venenum progrederetur; quod in aqua videre eſt, cui cum parum fellis miſcetur quo magis aquam agitaueris eò citius & magis amareſcet. Ita Petrus Salius, Fernel. Heurnius & cæteri Doctores. Quo quidem tempore in alexiteriis & corroborantibus tantum eſt inſiſtendum; ſimul & in applicatione cucurbitularum per totum corpus,

& aliquando in cruribus cum ſcariſficatione. Quo remedio ſe à peſte liberatum fuiſſe declarat Gal. lib de cucurbitulis, & ſcariſficatione. Aſſeritque ſuo tempore in Aſia vagatam fuiſſe peſtem è qua per applicationem cucurbitularum correpti euadebant. Quod quidem remedium mirè laudat Zacut. lib. 4. de medicorum princip. hiſtoria cap. 47.

A Quando vero venenũ & malignitas in humores irrepſit, tunc febris vehementior fit, ſitis maior, anxietas, paraphrænitis & aliquando etiam phrænitis. Idque corporibus plethoricis & cacochimis in quibus ex Auicenna lib. 4. ſen. prima tractat. 4. cap. 4. de cura peſtilentiæ, ſanguinis miſſione & purgatione pugnandum eſt. Sic enim, ait, ſumma peſtilentium febrium eſt exſiccatio & illud cum phlebotomia & ſolutione ventris, & oportet vt incipiatur in eis ad euacuandum. Sin autem materia vincens fuerit ſanguis fiat phlebotomia, ſi vero alij humores purgentur. Hanc ſequuntur opinionem Fernel. lib. 2. de ab-

dit.rerum cauſis & Zac.luſit.de med. princ. hiſt. lib. 4. cap. 47. ſub his conditionibus, primò vt hæ vacuationes morbi initio fiant, aliter non. Secundò ſi plethoricus ſit æger mitti debet ſanguis ſtatim, in minori tamen copia ob debilitatem à malignitate procreatam, immediatè vero poſt alexiterium dari & reliqua appropriata, quia miſſione ſanguinis tollendo copiam deobſtruitur corpus, ſublata vero plenitudine alexiteria melius ad cor perueniunt.

Quod ſi æger ſit cacochymus leni & reffrigerante medicamento vtendum eſt maxime dum putrida materia in primis viis ſtabulatur. Id anno 1661. verum eſſe obſeruatum fuit pariſiis, certa conſtitutione in qua maligna putredo in primis viis ferè tota erat, in qua ægri qui purgabantur, ſaluabantur: qui ſecus plerumque moriebantur; quæ quidem putredo à fætore excrementorum arguebatur iuxta illud Gal. prim. de cryſ. quod vehementer fætet vehementem putrefactionem indicat, ita vt ex fætiditate nimia excremento- A

rum craſſorum putredinem in prima regione arguere liceat. Ita Gal. de conſt.art.med.& prim.de cryſ. Ergo ex ſupradictis patet morbũ hunc vel maligniſſimũ pro ratione ſedis varia remedia poſtulare.Quod l.2.ad Glau. ſuadet Gal.laborantibus,inquit,convexis hepatis partibus per vrinã trahere oportet.Concauis autẽ per ſubductionem alui &c.repetit comm.lib 7.epid.pro motione, ait, noxiorũ humorum facere oportet vacuationes.

A Cum verò ſolidas partes venenum occupat, ipſas putrefacit. Quod rationibus & exemplis quam plurimis probat hyp. in in epidemiis. Sed id raro fit quin prius ſpiritus tenuiores, imo & humores ſubierit qui ad inflammationem ſuſcipiendam aptiores ſunt quam partes ſolidæ.Iuxta illud Gal. lib. prim. de different febrium ſubſtantia, inquit, tenuis promptius alteratur quam craſſa. Imò venenum violentius, & virtus debilior rarò patiuntur vt ſolidæ partes putreſcant, quoniam morbus prius iudicatur præ malignitate ſua & velocitate ad ſalutem vel

mortem.

Peſtis eſſentia ex Gal.

Comm. lib. prim. & 3. epidem & prim. acutor. ſic habet. peſtis eſt febris epidemica, contagioſa, & perniciosa. Primò epidemica, quia vulgaris, & popularis. Contagioſa, quia multi hoc contagio & facile capiuntur. Et perniciosa quia multi hoc morbo pereunt. Et hæc eſt peſtis eſſentia, nam endemij, patrij, vernaculi dicuntur ij. qui in regione aliqua vagantur, vt in montibus ſabaudiæ, bronchoncele frequens eſt & vernaculus. Sporadicus verò dicitur qui in variis regionibus diuagatur. A

Vtrum veſiccantia malignis febribus conueniant.

Nota malignitatem in febribus à diſproportione ſymptomatum cognoſci. Hoc eſt quando ſymptomata non reſpondent morbo, videlicet ſi in febre acuta adſit calor mitis, vrina B

laudabilis, nauſea, paraphrænitis; anxietas ſine cauſa manifeſta, & proſtratio virium ſine notabil vacuatione quod malignitatis certiſſimum ſignum eſt.

His febribus malignis veſiccantia
A conueniunt brachiis tibiiſque admota tanquam omnium potentiſſima reuulſiua vniuerſalibus tamen præmiſſis, quod in omnibus morbis obſeruandum venit teſte Gal. 3. de loc. affect. præceptum, inquit, eſt in omnibus morbis obſeruandum quod vniuerſi corporis euacuatio præmitti debeat priuſquam ad partem affectam curandam veniamus. Maxime ſi excrementa ad cutem natura propellat imperfectè vel ad manus & pedes, veluti Critoni accidiſſe, ægro in dealcis horto, virgini quæ in veſtibulo templi habitabat, *&* ſileno, docet hyp. in epidem.

B Firmat Gal. lib. de humoribus, ſi redundantia, inquit, ad caput vel ventrem feratur, medicamentis mordacibus manibus pedibuſque admotis reuellitur. An verò mordacia ſint

ex cantharidibus, flammula Iouis, Thapſia, vel aliis nihil reſſert, quoniam materiæ remediorum ad methodum non pertinent.

Idem ſuadet lib. 5. de ſimp. medic. facult. omne delereriū venenum, inquit, à foris impoſitis medicamentis vacuatur, nempe caliditate attractionem molientibus, aut dolore, aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine. *A*

Nec obiiciendum, inquit, Sanctorius lib. 13. meth. Veſiccantia febrem augere, quin imò ipſam minuere per accidens certiſſimum eſt. Quoniam materiam putridam & malignam foras trahendo, cor à calore putredinali liberant. Quare Gal. lib. 2. de differ. febr. aſſerit, partes quibus adhibentur ſinapiſmi & veſicantia calefieri & non remotas & lib. 5. & 13. meth. catharros ſalſos ex cerato thapſiæ, ſinapi, & ſtercore columbarum parato curat, & licet remedium ſit calidiſſimum perſe, tamen per accidens cerebri partem internam reſfrigerat. Demum poſito quod veſiccantia calefaciant & ægrum perturbent, non *B*

ſequitur ſi maius ab illis oriuntur beneficium quam maleficium. Nam ex doctrina Gal. lib. 14. meth. vt curemus morbum periculoſum poſſumus facere minus periculoſum; hinc eſt quod partem gangrænatam abſcindamus vt totum ſaluemus. Hinc eſt vt arteriam abſcindamus vt aneutiſma curemus, quia maius inde trahitur beneficium quam maleficium; & ex Gal 11. meth. minor noxa maiori vtilitate compenſari debet.

Quando & quantum mitti debeat ſanguis.

A Sanguis trahitur ob quatuor rationes. Primò ratione vacuationis docente Gal. lib. de venæ ſect. Vbi, inquit, ferueſcentis ineſt ſanguinis plenitudo acutiſſimam febrem accendens ſubito ac ſimul vacuare expedit, eamque priuſquam ad partem aliquam nobilem ingruat inanire: tentandum vel ad animi vſque deliquium, quare nec per noctem ſanguinem detrahere vercaris. Idem ſuadet lib. 11. meth. ſaluberrimum

remedium eſt in omnibus febribus putridis ſanguinem mittere, non in ſynochis modo ſed in aliis etiam quos putreſcens humor concitat: ſubleuata enim exoneratаque natura eo quo velut ſarcina premitur; magis concoquit quod eſt concoquibile, & expellit quod debet expelli.

Secundò ſanguis trahitur ratione reuulſionis, ita Gal. de venæ ſect. porrò, inquit, validam ſanguinis eruptionem venæ ſectio ſolet ſæpe compeſcere tanquam reuulſorium auxilium firmat lib. 5. meth. ſi ex dextra nare profluat ſanguis eum retinet maxima cucurbita hepati admota, ſi ex ſiniſtra lieni; quemadmodſm ſi per vtramque fluat vtrique viſceri appliccandæ ſunt. Quod ſi reſolutus adhuc æger non ſit etiam ex eodem cubito vena incidenda eſt quæ profuſioni è directo reſpondet. Cæterum vbi paulum detraxeris mox horam vnam intermittens rurſum detrahes; poſt iterum atque iterum pro laborantis viribus. A

Tertio mittitur ſanguis ratione reffrigerationis & euentillationis. B

Suadet Gal. lib. de animi mor. & corp.temperam. mutua conſequutione. Id equidem, inquit, nouimus ſanguinis miſſione æque ac cicutæ potu corpus frigeſcere pari modo lib. 9. method. ſanguinis, inquit, diminutio continentium febrium eſt præſidium maximum, ſi modo vires valentes ſint vel ad animi vſque deliquium, primum namque in contrarium ſtatum vertitur corpus celerrimè ex animi deffectu reſfrigeratum.

A Quarto ſanguis mittitur ratione obſtructionis firmat Gal.9.meth.iam verò, inquit, quos ex ſola obſtructione febricitantes mihi videre contigit, nemo in putredinis febrem incidit qui ſanguinem prius detraxiſſet, quem quidem vbi valida virtus ſubeſt & ætas permittit ad animi vſque deliquium mittere expedit, vbi horum alterum haud ſatis reſpondet, tutius eſt quantum ſatis viſum fuerit tantum principio detrahere, quod deffuit iteratione ſupplere.

De partu Difficili.

Nota in parturientibus ſi natura debili exiſtente puer foras exſilire non poſſit, antequam manus beneficio extractio tentetur, debere primò collum vteri laxantibus molliri tum per iniectiones in collum matricis factas, tum per clyſteres anodinos & frequentes, paratos ex decocto ſolo inteſtinorum veruecis cũ vitellis ouorum; vel ex ℔ 1. buthyri liquati, vel adipis non ſalitæ. Aliquando etiam in ipſo difficili partu ſanguinem è talo mittere ad 4. vel 5. vncias cogimur. Sicque parturientem à ſanguinis deſcenſu irritatam & partibus vteri relaxatis, ſæpius & fæliciter relicta extractione peperiſſe obſeruauimus. A

An in præſagio mortis plus ſit honoris aſſequendi quam in præſagio ſalutis.

Nota medicum plus habere difficultatis in præſagienda futura morte, quam in præſagienda futura ſalu- B

te, nam morbi ſanabiles motus habent certos, ſtabiles, & ordinatos comm.8.aph. lib.3.& lib. 2. epidem. Quibus fultus certò prædicit ſalutẽ. Læthales verò motus gabent incertos, inſtabiles & iuordinatos quibus fultus non poteſt medicus niſi dubie & incerté mortem prædicere. Ideo rectè dictum eſt ab hyppocr. prim. aph. iudicium difficile. Quod firmat etiam aph. 1.9. ſect. 2. acutorum morborum, inquit, difficiles ſunt prænotiones & ſalutis & mortis. Qua de cauſa medicus plus honoris & famæ acquirit in præſagienda futura morte, quam in præſagienda futura ſalute modo prognoſis veritati conſonet. Ratio præſtolatur: Vbi enim plus eſt difficultatis, ibi plus debet eſſe honoris quandoquidem maiori opus eſt ſolertia & doctrina. Atqui plus eſt difficultatis in præſagienda futura morte quam ſalute quia in illa, ſigna ſunt infida & incerta, in hac verò certa & ſecura. Ergo plus honoris aſſequitur medicus in præſagienda morte quam ſalute modo prædictioni euentus reſpondeat.

De Catoche.

A Catoche ſeu Catalepſis fit à cerebri reſfrigeratione vehementi & repentina, comite ſiccitate, quæ cauſa eſt cur hoc morbo correpti, rigidi & quaſi congelati in eodem ſtatu permaneant quo corripiuntur tempore paroxiſmi. Sic docet Gal. comm. 3. ap. lib. 2. & cum ipſo Medicinæ proceres, firmat hiſtoria de ſtudioſo medicinæ Monſpelij, qui per hyemem vigente bruma in cubiculo, ſedens & tabulæ innixus, oculis apertis & inconniuentibus, pennam habens præ digitis, & cartham ſub ipſis rigidus & immobilis inuentus eſt nihil ad interrogata reſpondens: Ita vt verè congelatum dixiſſes. Qui frictionibus & calidis auxiliis tam ſumptis quam admotis curatus eſt.

B Rondeletius cap. de catoche aſſerit, hunc affectum interdum à vapore melancolico copioſo ventriculos cerebri opplente prouenire: quam ſpeciem vidit in puella ann. 15. quæ inueni nupta contra voluntatem,

